DE

# CONJUNCTIVI ET OPTATIVI

## IN INDOEUROPÆIS LINGUIS

## INFORMATIONE ET VI ANTIQUISSIMA

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

ABEL BERGAIGNE

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD BIBLIOPOLAM F. VIEWEG

67, VIA RICHELIEU, 67

1877

DE

# CONJUNCTIVI ET OPTATIVI

IN INDOEUROPÆIS LINGUIS

INFORMATIONE ET VI ANTIQUISSIMA

PARISIIS. — TYPIS C. LAHURE,
Via dicta Fleurus, 9

DE

# CONJUNCTIVI ET OPTATIVI

## IN INDOEUROPÆIS LINGUIS

## INFORMATIONE ET VI ANTIQUISSIMA

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

ABEL BERGAIGNE



LUTETIÆ PARISIORUM

APUD BIBLIOPOLAM F. VIEWEG

67, VIA RICHELIEU, 67

1877

ERUDITISSIMIS ET DILECTISSIMIS

MAGISTRIS

ÆMILIO EGGER

MICHAELI BREAL

HOC OPUSCULUM

REVERENTER DICABAT

DISCIPULUS MEMOR

# ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pagina 5, linea 9, lege: *prius dicamus*. L. 18, post verba « non transit » adde : *exceptis homericis formis ut* ἐθέλωμι. L. 29, lege : *in secunda et tertia*.

P. 6, l. 10, post verba « in græca autem » adde : *exceptis formis in* ιην *aut* ια *desinentibus*. Notulam 1 refer ad verbum additum « desinentibus » et lege : *Secundariam quoque terminationem exhibent*... p. 40, 45, 58.

P. 8, l. 27, lege : *formam yunáj-*.

P. 12, l. 5, dele : *in vedica... nisi*. L. 8, post verbum « efficitur » lege : *dhā'ti*, θῶμεν, θῆτε. Post verbum « tamen » lege : *apud Græcos*. L. 10, lege : *p. 7, ubi formæ nondum contractæ allatæ sunt*).

P. 16, l. 14, lege : *formæ conjectura restitutæ* as-ya-si, as-ya-ti.

P. 17, notula 1, l. 16, lege : *videtur. De*...

P. 20, n. 1, l. 1, lege : *abhinc nonnullos*. L. 7, lege : *abhinc multos*.

P. 23, n. 1, l. 2, ante *shall* dele *to*.

P. 25, l. 12, lege : *Abhandl*.

P. 27, l. 9, dele *Nam quod.... nodum*, et lege : *E locutionibus enim*.

P. 30, n. 1, l. 2. lege : *cum verbo e radice* dhā *informato*.

P. 36, l. 16, lege : II, p. 350.

P. 38, l. 17, lege : faxem *pro* facsem (Pseudol. I, 5, 84)....

P. 51, l. 17, lege : II p. 55.

P. 52, l. 20, lege : *formæ*.

P. 54, l. 7, lege : *abhinc quinque*. N. 1, l. 1, lege : *secundariis*.

P. 67, l. 3, lege : *yáthā*.

P. 69, l. 25, lege : *filioli Astyanactis vicem dolentis*. N. 1, l. 3, lege : p. 23.

P. 78, l. 14, dele *vel*, et sequentia verba « *in sententiis... adhærentibus* transfer, l. 16, post verbum « quidem ». L. 24, lege : δὲ.

P. 79, l. 4, lege : ἂν. L. 24, ὃς.

P. 81, l. 33, lege : κέ.

P. 82, l. 3, lege : ἤν.

P. 84, l. 16, lege : *agnī'*.

P. 87, l. 16, lege : αὐτός. L. 17, adde : εἰ μὴ ἐγὼ κείνοισι κακὸν πάντεσσι γενοίμην. L. 35, lege : ὥς.

P. 88, l. 6, lege : Αἶψά. L. 9, lege : *multo magis*. L. 23 : γάρ. L. 36 : *bibharāsi*.

P. 90, l. 27, dele ultimum exemplum.

## ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 95, l. 6, lege : *Nausicaam parentibus nuntiavisse se ad flumen ire propositum habere.*

P. 97, l. 33, lege : *omnia aut pleraque.*

P. 102, l. 28, pro « semper » lege : *sæpe quoque.*

P. 104, l. 21, post « *actio arandi* » lege : (*grammaticorum quidem sanscriticorum memoria, nam in* Rig-Veda *legitur* krishí), rámhi « *cursus* », tvíshi « *splendor* ».

P. 111, l. 20, lege: *quidem alteri subjecta.*

P. 114, l. 3, lege : (*a*) - *bodha - dhvam.* L. 12, adde : *in græca enim lingua* ω *haud secus atque* η *ex antiqua* ā *orta est.* L. 22, lege : *quæ formæ.* L. 25, lege : *instructæ sunt.* Dele cetera.

P. 115, l. 27, post verba « quasi elisionem » adde : *aut in antiquorum titulorum scriptura frequentem prætermissionem.* L. 31, lege : *debuisset, si exemplis a docto viro allatis confidendum esset. Ipse enim literæ* s *ruinam in* progredimino *cet. ad antiquiorem ætatem refert quam ejusdem literæ in titulorum scriptura prætermissionem, sine dubio quia nulla est in iis formis scribendis quasi fluctuatio.*

P. 118, l. 10, lege : *manifestior.* L. 12, lege : *suspicari possimus, quum ceterum in imperativo varietas formarum maxima sit.*

P. 119, l. 3, lege: II, *p.* 48. L. 7, lege : *Curt.* ibid. L. 28, lege : *personas.*

P. 120, l. 11, lege : *in latina tantum et in lettica lingua..... unius et alterius.*

P. 123, l. 2, post verbum « affirmationem » lege : *directa ratione.*

P. 124, l. 24, lege : *ipse.*

P. 125, n. 1, l. 2, lege : *potuisse ut.*

P. 126, l. 9, post verbum « *jungere* » adde notulam : *In sanscriticis abstractis quæ suffixam elevant, id est in iis quæ e radicibus per vocalem* i, ī, *desinentibus informata sunt, accentus, Boppii sententia* (Kritische Grammatik. § 575) *priore sede motus est.* L. 11, lege : *sanscriticum* jīvá « *vivus* » *e radice* jīv « *vivere* ». L. 17, lege : *ut in* tudá « *tundens* » *e radice* tud « *tundere* », *nunc....* Adde notulam : *Concretorum quæ in fine tantum compositorum usurpantur, ut* tuda, *proprius accentus e ceterorum exemplo colligi potest.* L. 21, lege : tu-dá.

# PROOEMIUM.

Modorum, qui vulgo vocantur, in indoeuropæis linguis antiquis unum (ut participia omittam), nempe infinitivum, haud verbi formis annumerandum, sed ad nomen delegandum esse, jamdudum inter doctos constat. Alterum, imperativum dico, utpote personalem, verbi ab ipsa origine proprium fuisse vel comparativæ grammaticæ scriptores recentiores plerique docent, ego vero, partim quidem verbo, partim tamen, ut ficticio quodam neque admodum antiquo personarum discrimine distinctum, nomini quoque vindico. Ex hujus autem formis, quas non tantum specie et usu, sed re et etymologia in terminationem personæ indicem exire et ipse concedo, eæ ad conjunctivum, sive genuinum, sive, quod postea explanabitur, quasi adulterum, referendæ sunt. Inde intelligi potest eam mihi causam fuisse cur de optativo et de conjunctivo una commentatione disserere instituerem, quod ii soli personales esse et in verbi ipsius formulam cadere mihi videntur.

Quos quum minus impersonalibus opponere, quam ex illis, si fieri possit, illustrare propositum habeam, infinitivus quoque et imperativus mihi attingendi erunt, sed ita ut de infinitivo, quum nova non habuerim quæ expromerem, trita properans percurram, de imperativo autem propriam sentiendi rationem, ubi occasio opportuna postulabit, explicem et confirmare nitar. Hanc quidem, quamvis ab usitata opinione desciscentem, lectori tamen me approbaturum non despero, neque ex illustrioris et expeditioris, ut

mihi videtur, quæstionis enodatione, argumenta haurire dubitabo quæ in obscurissimam et implicatissimam de conjunctivo et optativo quæstionem conferam.

Hæc autem, quam præcipuam hujus libelli materiam esse profiteor, si integra fuisset, fortasse non primus aggredi sustinuissem « periculosæ plenum opus aleæ ». Sed postquam scriptores nonnulli de modorum conjunctivi et optativi informatione et vi antiquissima jam quædam conjecerunt, vel etiam ex illo primo, quem finxerunt, usu, posteriores omnes, e literarum monumentis notos, derivare conati sunt, cavendum esse censui, ne virorum doctorum auctoritate dubia, ut arbitror, doctrina prius omnibus approbaretur et in grammatica comparativa quasi radices ageret, quam variis modis pensata, explorata, et ipsa controversia (si censores denique causa ceciderint) confirmata esset. Adversariorum autem sententias concertatorio genere persecuturo mihi non inutile visum est propriam ipsius sententiam edere, ut si quid in ea probabile visum fuerit, hac ratione propositam refutationem absolverem.

Hunc quidem disputandi ordinem instituo ut, enumeratis conjunctivi et optativi formis, antequam ad priores explicationes rejiciendas, et ad novam tentandam transeam, de quæstionibus ipsis proponendis et de diversis viis quibus enucleari possint fusius disseram. Spero enim fore ut singula multo facilius intelligantur postquam de universis dictum fuerit[1].

1. *De modo subjunctivo* Facultati literarum parisiensi ab Arth. Loiseau proposita thesis vix in eadem materia atque hic libellus versatur. Modorum enim in literarum monumentis sensus mihi non erunt attingendi, nisi prout critici partes a me susceptæ postulabunt.

# CAPUT I.

## CONJUNCTIVI ET OPTATIVI FORMÆ DESCRIBUNTUR.

---

Conjunctivus et optativus quos ambo linguæ omnium indo-europæarum genitrici usui fuisse satis demonstrant linguarum illarum una et altera, quamvis nullo arctiore affinitatis vinculo conjunctæ, in eodem, vel etiam in utroque servando consentientes, non ambo tamen usurpati in omnium monumentis reperiuntur. Defuisse enim goticæ, slavicæ antiquissimæ et celticis linguis conjunctivum Schleicher (*Compendium*, § 290), celticarum antiquissimo exemplari hibernicæ optativum, Schleicherum reprehendens Ebel (Schleich. *Chrestomathie*, p. 372) ostendit. Latinæ quidem, et italicarum ceterarum, utriusque descriptionis formas proprias esse idem Schleicher (*Compendium*, § 289 et 290) nos monet, sed ita ut, nullo sensus discrimine usurpatæ, in variis conjugationibus unum et eumdem modum efficiant, cui conjunctivum nomen veteres grammatici imposuerunt, et in futurum quoque exprimendum transeant. In græca tantum et in sanscritica antiquiore seu vedica (ut bactrianam omittam posteriori proximam et fere omnibus grammaticæ partibus similem), optativus (in sanscritica vulgo *potentialis* vocatus) et conjunctivus aperte distinguuntur, in hac tamen forma magis quam usu, in illa usu simul et forma differunt.

Quod autem in hoc capite unum propositum habemus, ut formarum effigiem[1] describamus, id aptissime præstabimus

1. De ea potissimum consulendus est e gallis scriptoribus Bréal (*Introduction au tome* III *de la Grammaire comparée des langues indo-européennes de Bopp*; p. LXXIII), ut de informatione verbi in universum (*ibid.*, p. XXXVIII seq.).

si inter unamquamque optativi aut conjunctivi formam, et indicativi formam priori respondentem, ostenderimus quod intersit discrimen. Optativus enim et conjunctivus, ut indicativo opponuntur, ita ab indicativo declinari posse videntur, nec non singulis temporum thematibus varia modorum themata respondent, quæ vulgo apud grammaticos modorum tempora nominantur. Hæc omnia apud Schleicherum et multos alios grammaticæ comparativæ auctores descripta reperiuntur, et ad antiquissima exemplaria relata, de quibus nulla fere controversia esse potest.

Nam quod dubium est, et quæstione huic libello inscripta agitatur, hoc non ad ipsas formas, etiamsi antiquissimas dixeris, restituendas, imo non ad formas in partes dividendas, sed ad ipsarum partium naturam et vim enucleandam pertinet. Illa quidem, linguæ genitrici grammaticorum consensu assignata exemplaria, a sanscriticis, quæ supersunt, formis vix discordant. Multo igitur commodius ab his proficiscemur quibuscum linguarum sororum formas origine congruere, nec nisi mutatis, vel in minoribus natu, vel etiam in majore illa sanscritica, sonis differre ostendamus. In publica autem materia versantibus satis erit rem leviter præstringere, id est cum sanscriticis græcas modo et latinas formas conferre. E ceteris enim linguis nihil amplius hauriri possit.

De conjunctivo simul et optativo hoc primum et idem notandum est, modi signum et vim, quæquæ ea sunt, non personalibus certe, quæ dicuntur, terminationibus inesse. Quod enim ad terminationes attinet, discrimen, vel inter conjunctivum et optativum, vel inter utrumcunque eorum et indicativum, in variis formis, aut nullum est, aut primariarum (præsentis indicativi) et secundariarum (imperfecti aut aoristi indicativi) terminationum diverso usu constat. Primariarum autem et secundariarum unam et eamdem fuisse originem viri docti, ante alios Boppius, conjecerunt, et hanc sententiam fere omnibus approbaverunt: nempe secundarias e primariis, abjecta in fine litera una aut altera, ortas esse. Alias quidem formas, materia plane similes, so-

norum mutationibus aut ruina tantum discretas, sensim ad varios quoque sensus exprimendos usurpatas esse, nemo est qui infitietur. Sed quominus eum variarum terminationum in exprimendis modis usum fuisse conjiciamus id impedit, quod hæc ipsa varietas, aut, ut sæpe fit et jam ante dictum est, omnino abest, aut ad nullas certiores leges, sive inter se linguas, sive etiam ejusdem linguæ diversas formas contuleris, referri possunt.

Nam ut de conjunctivo priu dicamus, in latina lingua, quum nulla primariarum et secundariarum terminationum discrepantia sit, nisi in persona singularis numeri prima, hujus quidem terminatio in conjunctivo eadem atque in secundariis temporibus est *m* (*legam* haud secus ac *legebam*). In græca autem lingua conjunctivo præcipuorum temporum terminationes omnes adhibentur (λύω, λύῃς pro λυη-ις, λύῃ pro λυη-ι, λύωσι pro λυω-ντι, cet., haud secus ac λύω, λύε-ις, λύε-ι, λύουσι pro λυο-ντι, cet.), nisi quod prim. sing. pers. terminatio μι ad conjunctivum non transit. In vedica medii quidem generis terminationes omnes eædem conjunctivi et præsentis indicativi sunt; secundaria tamen terminatio tert. plur. pers. *-anta* in conjunctivo juxta primariam *-ante* reperitur, et primariæ terminationes trium primarum personarum, *-e*, *-vahe*, *-mahe*, secundarum sing. et plur., *-se*, *-dhve*, et tertiæ sing. *-te*, in conjunctivo quasi ictu quodam percussæ *-ai*, *-vahai*, *-mahai*, *-sai*, *-dhvai*, *-tai* fieri possunt. Activi generis terminationes usurpantur, in sec. et tert. du. et in sec. plur., primariæ *-thas*, *-tas*, *-tha* (seu *-thana*), in primis du. et plur. et in tertia plur., secundariæ : *-va*, *-ma*, *-an*; in prima et secunda sing., modo primariæ *-si*, *-ti*, modo secundariæ *-s*, *-t*; — primæ sing. autem peculiares *-āni*, *-ā* terminationes sunt[1], de quibus alias (infra cap. IV, A). Hæc quidem non tantum de conjunctivo a præsentis themate, sed etiam de conjunctivo ab aoristi aut perfecti themate derivato dici possunt : aoristi

1. De terminationibus omnibus, nec non de thematibus quæ infra afferam, vide Delbruckium (*Das altindische Verbum*, p. 191).

enim aut perfecti haud secus ac præsentis conjunctivus græce primarias tantum terminationes usurpat, sanscritice primariarum et secundariarum vicibus variatur.

Quod si ad optativum transimus, videmus quidem sanscriticam græcamque linguam, in eligendis secundariis, quum in activo, tum in medio genere, terminationibus, excepta una sing. act. prima[1], consentire : primæ autem sing. pers. terminationem, secundariam quoque in sanscritica lingua (et in latina, cujus conjunctivus, qui dicitur, *ame-m* vere optativus est), in græca autem sine controversia primariam esse : λύοι-μι. Neque obliviscendum est, quæ ceterarum ab indicativi terminationibus in præsente discrepantia est (si λύοι-ς, λύοι-, λύοι-εν cet. cum λύε-ις, λύε-ι, λύουσι pro λύο-ντι comparaveris), eam in aoristo (λύσεια-ς, λύσειε-, λύσεια-ν cet. cum ἔ-λυσα-ς, ἔ-λυσε-, ἔ-λυσα-ν collatis) similitudinem fieri : quippe cujus in indicativo quoque terminationes sint secundariæ.

Ex his facile intelligitur verum et genuinum, quum conjunctivi, tum optativi, signum, si quod est, ante terminationem quærendum esse. A conjunctivo rursus ordior, et eo quidem ad præsentis thema pertinente.

Conjunctivi signum vocali brevi *a* (sanscritice *a*, græce ο, ε) constat, quod maxime in verbis secundæ, quæ dicitur, præcipuæ conjugationis manifestum est. Horum enim quum præsentis (indicativi) thema, aut per radicis ultimam literam, aut per insigne, quod nominant, haud ipsum in vocalem *a* brevem desinens, exeat, ejus generis themati addita in conjunctivo litera *a* facilius distinguitur.

Formas quidem hujus descriptionis in latina lingua nullas, in græca rarissimas esse haud mirandum : in illa enim vix unum et alterum, in hac pauca tantum (nempe quorum prima persona in -μι exit) verba secundæ conjugationi annumeranda inveniuntur. Ex his autem alia, ut τί-θη-μι, δί-

1. Vel in prima secundariam terminationem exhibent τρέφοιν, ἁμάρτοιν. De his et de frequentissima λύοιμι, nec non de sola stante παραφθαίησι, vide Curtium (*Das Verbum der griechischen Sprache*, I, p. 140, 145, 158).

δω-μι, pro themate radicem ipsam (reduplicatam) usurpant primitus in vocalem *ā* desinentem, quacum conjunctivi vocalis *a* in eamdem *ā* (græce ω, η, τι-θῶ, τι-θῇ-ς pro τι-θη-ις cet.) conflatur, salva tamen in circumflexa syllaba contractionis memoria; aliorum ut εἶ-μι « eo », εἰ-μί pro ἐσ-μι « sum », conjunctivus analogiæ lege, qua nihil in immutando sermone magis valet, in conjugationis primæ similitudinem rapitur : ἴ-ω, ἴ-η-ς, — ἔ-ω, ἔ-η-ς (ion.) pro ἐσ-ω, ἐσ-η-ς. Ex eodem tamen εἶμι « eo » forma superest ἴ-ο-μεν, quam ab indicativi forma ἴ-μεν interposita vocali ο (primitus *a*) derivare in promptu est.

Huc addi possunt formæ quæ, ut græcæ linguæ ratio fert, ad aoristi conjunctivum pertinent, si primam autem originem respexeris, a conjunctivo præsentis in secunda, quam vocant, verborum classe minime differre videbuntur, φθί-ε-ται, exempli causa, cum ἔ-φθι-το (ε enim = antiqua *a* haud secus atque ο), — δώ-ο-μεν, στή-ο-μεν cum ἔ-δω-ν, ἔ-στη-ν, comparatæ[1]. Imo δώ-ο-μεν, στή-ο-μεν, pro magis genuinis habeo quam ἴ-ο-μεν. Nam ἴ-ο-μεν, et e posterioribus una, φθί-ε-ται, a vedicis mox afferendis exemplis eo discrepant quod, quum omnium secundæ conjugationis verborum proprium sit graviorum (ut εἶ-μι, ἔ-δω-ν) et leviorum (ut ἴ-μεν, ἔ-δο-μεν, ἐ-δό-μην) formarum vicibus per numeros et genera variari, græcæ quidem formæ ad levius thema pertinent, vedicæ autem a graviore, incremento quod *guna* vocatur aucto themate, nullo numerorum aut generum discrimine habito, ut mox ostendam, declinantur. Quam legem quum nulla e satis multis vedicis formis violet, græcarum autem paucissimarum pars non minor δώ-ο-μεν, στή-ο-μεν[2], θεί-ο-μεν pro θη-ο-μεν, cet., sequantur, vix dubito ad linguam vedicæ simul et græcæ genitricem referre. Ceterum quæ græcæ excipiuntur formæ, eas animadvertendum est levio-

1. Reliquas vide apud Curtium (*Das Verbum der griechischen Sprache*, II, p. 58).
2. Radicis στα, στη quidem vocalis η vel in plurali indicativi numero contra similium verborum morem reperitur : ἔ-στη-μεν.

ribus in indicativo formis respondere, sive quod pluralis numeri ut ἴ-ο-μεν (cf. ἴ-μεν), sive quod medii generis ut φθί-εται (cf. ἔ-φθι-το) sunt, unde facile conjicias levius thema falsa analogia in conjunctivum transiisse. Adde quod in forma ἴ-ο-μεν et præter eam in una et altera [1], radicis vocalis aliquando producta reperitur. Hæc autem productio incrementi *guna* vocati locum fortasse tenet, ut in δείκ-νυ-μι cum sanscritico *ći-no-mi* collato. Nec prætermittendum est ipsum *guna* minus ad primam formarum originem pertinere quam accentus ictum ex quo, ut vulgo creditur, *guna* ortum est. Quo quidem ictu radicis vocalem in conjunctivo secundæ classis constanter a principio percussam esse, e sanscriticis formis conjicere licet, e græcis negari certe non potest [2].

Paulo fusius de hac quæstione disserui, quæ, mea quidem sententia, ut infra videbis, ad præcipuam de qua agimus quæstionem enucleandam maximi est momenti. Nunc postquam græcas, contra usitatum ordinem, formas (quippe quæ raræ sint aves) præposui, ad vedicas transibo, et exempla singula e singulis secundæ conjugationis classibus deprompta afferam :

E radice classis II *kshi* « morari » cum indicativi forma tertiæ singularis personæ *kshéti* comparatam conjunctivi formam *ksháy-a-t* ;

E radice classis III *yu* « arcere » cum ind. for. tert. sing. pers. *yu-yo-ti* comparatam conjunctivi formam *yu-yáv-a-t;*

E radice classis VII *yuj* « jungere » cum ind. for. tert. sing. pers. *yunák-ti* comparatam conjunctivi forma m*yunáj;* *a-t*, et in medio genere cum ind. for. tert. sing. *leviore yunk-té* comparatam conjunctivi *graviorem yunáj-a-te* ;

E radice classis V *kri* « facere » cum ind. for. tert. sing. *kri-nó-ti* comparatam conjunctivi formam *kri-náv-a-t*, et in medio genere cum ind. for. tert. sing. *leviore kri-nu-té* comparatam conjunctivi graviorem *kri-náv-a-te;*

1. Eas vide apud Curtium, *loc. cit.*, p. 63.

2. Propria linguæ græcæ lex qua jubetur accentus in verbo usque ad antepenultimam syllabam, si modo possit, ascendere, impedit ne quid certi de antiquissimo græcarum formarum accentu asserere possimus.

E radice classis VIII *van* « cupere, vincere, *cet.* », cum ind. for. tert. sing. *van-ó-ti* comparatam conjunctivi formam *van-áv-a-t*, et in medio genere cum ind. for. sec. sing. *leviore van-u-shé* comparatam conjunctivi *graviorem van-áv-a-se.*

In nona quidem classe, postquam addita est themati præsentis indicativi graviori, in *nā* exeunti, vocalis *a*, nihil nisi id ipsum *nā* effici potest; e varietate autem, non solum accentuum, et aliquando terminationum, sed thematum ipsorum, quum levius thema in indicativo usurpetur, sanscritice per syllabam *nī*, non ut græce per syllabam *na* brevem (δάμ-να-μαι) desinens, oritur in levioribus certe, quæ vocantur, personis indicativi, aliquod discrimen quo a conjunctivi personis sejungantur, ut in prima indicativi activi pluralis *mi-nī-más* (e radice *mi* « minuere, violare ») cum conjunctivi forma *mi-nā'-ma* comparata.

Ad primam conjugationem transimus, in qua quum themata præsentis indicativi omnia in eamdem literam *a* brevem exeant, nec ullus sit eorum per numeros et genera gradus levitatis aut gravitatis, satis erit e quatuor, aut etiam pluribus, sanscriticæ linguæ classibus huic conjugationi annumerandis, exemplum unum depromere. Hoc enim unum et idem in omnibus inter indicativi et conjunctivi themata discrimen intercedit, quod alterum in *a breve*, alterum in *ā longum* desinit. Inde fit ut in prima, haud secus atque in secunda conjugatione, conjunctivi signum vocali *a brevi* constare videatur, quæ quum in secunda jus suum *sæpissime* servaverit, in prima *semper* cum ultima thematis indicativi *a* coaluerit.

Sic diversæ fiunt secundæ sing. personæ e radice ad primam classem relata *ji* « vincere », in indicativo *jáy-a-si*, in conjunctivo *jáy-ā-si*, aut cum secundaria terminatione *jáy-ā-s.*

In græca autem lingua, ut *a* brevis sæpissime in ο aut ε, ita *a* longum in ω aut η mutatur. Formis igitur indicativi φέρ-ο-μεν, φέρ-ε-τε, conjunctivi formæ φέρ-ω-μεν, φέρ-η-τε, aptissime

respondent. Illam vero conjunctivi genuinam et legitimam informationem falsa analogia ad conjugationem secundam, id est conjugationem in -μι, translatam esse, ut in ἔ-ω-μεν, ἔ-η-τε, pro ἐσ-ω-μεν, ἐσ-η-τε, cum ἐσ-μέν, ἐσ-τέ collatis, lectorem jam monuimus.

Latine vero e conjunctivis, qui dicuntur, præsentis, unus primæ, ut latinæ grammaticæ ratio fert, conjugationis, ad optativum referendus est. De quo infra. Ceteri genuini conjunctivi sunt. Nam ut a manifestissimis tertiæ conjugationis formis incipiam, et verbum *lego* exempli causa afferam, quæ vocalis brevis *i* discreta a terminatione reperitur in *leg-i-s*, *leg-i-t*, *leg-i-mus*, *leg-i-tis*, ea ab ultima thematis antiqua *a* mutata est, quæ in tertia pluralis numeri persona facta est *u*[1]. Ex eadem vocali *a* et conjunctivi simili *a* conflata *ā* in *leg-ā-s*, *leg-ā-mus*, *leg-ā-tis* servata est. Cur autem in *leg-a-t* brevis rursus effecta sit causa fuit litera ultima *t*, ut in *ama-t* cum *amā-s* collato (Schl. *Compend.*, § 55). Ipse autem vocalis *a* sonus servatus, neque in *o*, *u*, aut *e*, *i*, ut fit in brevibus syllabis certa quadam lege, mutatus, prioris prosodiæ testis est, haud secus ac thematum nominalium antiquitus in *a* desinentium ultima illa *a*, ubi brevis a prima origine fuit, nempe in masculinis et neutris, latine *o*, *u* (*servo-s*, *dominu-s*, *templu-m*) evasit, ubi autem longa, in femininis dico, latine prosodiam quidem amisit (*rosa*) sonum autem *a* retinuit.

Secundæ et quartæ conjugationis conjunctivum haud alia lege esse informatum videbis, si verborum *moneo*, *audio*, exempli causa, themata præsentis indicativi, breviata quidem in *mone-t*, *audi-t*, *audi-unt*[2], ante consonantem *t* aut vocalem literam, in *monē-s* autem, *monē-mus*, *monē-tis*, — *audī-s*, *audī-mus*, *audī-tis*, per longam vocalem desinentia, ante contractionem in *ee*, *ii*, aut potius *eje*, *iji*, exiisse perspexeris (cf. sanscritica themata in *aya*, *īya*, cet. desinen-

1. De prima sing. pers. quæstio implicatissima hic omitti potest.
2. Primam sing. pers. sciens præterire persevero.

tia). Priore enim *e*, *i*, jus suum servante, posterior, aut potius illa *a* vocalis a qua mutata est, cum conjunctivi vocali *a* coiit, unde formæ *mon-eā-s*, *aud-iā-s*, ortæ sunt.

Restat ut de iis tertiæ conjugationis verbis dicamus quæ in conjunctivo minime a quarta conjugatione differre videntur (*capi-ā-s*, *capi-ā-mus*), in indicativo autem thema in vocalem *i brevem* desinens exhibent (*capi-s*, *capi-mus*); unde existimare possis hic conjunctivum indicativo ampliorem esse non brevi tantum, sed integra *ā longa*. Hoc autem specie tantum fit, non re. Indicativi enim vocalis *i*, non a disyllabo quidem elemento *ee*, *ii*, aut *eje*, *iji*, sed a syllaba *je*, *ji*, primitus *ja*, orta est, qua syllaba fere nulla frequentius in informandis præsentis thematibus usurpata est, præsertim in lingua græca ubi variis modis fuit immutata (Schl. *Compend.*, § 293, V). Ejusdem syllabæ *ja*, in indicativo contractione quadam *i* factæ, literæ ambæ in conjunctivo servatæ, ita dissolvuntur, ut e priore vocalis *i* brevis, e posteriore, cum conjunctivi *a* brevi juncta, *ā* longa efficiatur.

Denique notandum est in tertia et in quarta conjugatione conjunctivi præsentis personam primam futuri quoque partibus fungi : *legam* et *capiam*, *audiam*. Ceteras futuri in iisdem conjugationibus formas ad optativum referendas esse mox videbimus.

Postquam de conjunctivo ad præsentis themata referendo prius et fusius tractatum est, utpote usitatissimo et forsan primo unicoque exemplari cujus analogiam secuti ceterorum temporum conjunctivi in usum venerint, pauca de his, ad aoristorum aut perfecti themata pertinentibus, dicenda sunt. Hic sanscritica tantum et græca lingua nobis respiciendæ erunt. Latina enim, quæ dicuntur, conjunctivi tempora, præsente excepto, omnia ad optativum referenda sunt.

De secundo, quem vocant, aoristo, nullam *s* literam exhibente, quæstio eadem fere atque de themate præsentis est. Ejus enim thema præter augmentum, aut radice nuda, ut præsentis thema secundæ classis, constat (sanscritice *á-dhā-m*,

græce ἔ-θη-ν), aut in *a* brevem ut themata primæ conjugationis omnia desinit (sanscritice *á-vida-s* « invenisti », græce ἔ-λιπε-ς « reliquisti », neque aliter aoristus reduplicatus). Ad priorem informationem pertinentes conjunctivi reperiuntur in vedica lingua nulli omnino, in græca nulli nisi a thematibus, id est radicibus, derivati antiquitus in *ā* desinentibus, ex qua vocali cum conjunctivi vocali *a* juncta nihil nisi eadem *ā* longa (græce ω, η) efficitur, salva tamen in circumflexa syllaba contractionis memoria (vide supra p. 7) : θῶ-μεν, θῆ-τε. Aoristi thematum in *a* desinentium, haud secus ac thematum præsentis in prima conjugatione, conjunctivus ab indicativo prosodia tantum vocalis *a* differt; quod illustrari potest sanscritico *vid-ā'-si* aut *vid-ā'-s* cum *á-vid-a-s*, græco λίπ-η-ς pro λιπ-η-ις cum ἔ-λιπ-ε-ς collato. De terminationibus jam dictum est; augmentum autem quod in utraque lingua indicativo aoristi addi solet, et præteriti temporis signum efficit, a conjunctivo abest.

Aoristi, quem dicunt, primi, seu literam *s* exhibentis [1], informatio in græca quidem lingua omnibus verbis una et eadem, syllaba σα addita, in sanscritica autem varia est, sive eadem syllaba *sa*, sive elementis *s*, *sish*, *ish* radici additis. A variis autem indicativi thematibus eadem lege semper conjunctivus derivatur. Nam thematis in *a* brevem exeuntis hæc ultima *a* in conjunctivo producta apparet, ut in forma λέξη-ς pro λεγ-ση-ις cum indicativi forma ἔ-λεξα-ς pro ἐ-λεγ-σα-ς comparata. Vedici hujus informationis conjunctivi desunt. Thematibus autem in *s* exeuntibus vocalis *a* brevis in conjunctivo additur. Vocalis radicis incrementum, si quod est in indicativo, in conjunctivo servatur. Quæ vero themata leviorum et graviorum formarum in indicativo vicissitudinem exhibent, id est, in medio genere simplici quidem, *guna* vocato, incremento, in activo autem duplici, quod *vriddhi* nominant, augentur, ea *guna* tantum

1. Aoristos in -κα desinentes hic prætermitto (de quibus vide infra cap. II, A). Verborum in liquidam desinentium aoristi primitus syllaba σα addita informati sunt; mutatis autem sonis, ex ἐ-νεμ-σα, exempli causa, forma ἔνειμα orta est.

in conjunctivo, nullo generum discrimine, accipiunt. Exempla sunt variarum informationum : e themate *jes* cujus radix est *ji* « vincere », quo autem gravius *jais* in tertia pers. sing. act. *a-jais-(t)* existit, informatæ conj. sing. act. personæ secunda et tertia *jésh-a-s*, *jésh-a-t*; e themate *yāsish* (in *yāsish-ta* secunda plur. ind. act.) cujus radix est *yā* « ire » informata tertia sing. act. in conjunctivo : *yāsish-a-t*; e themate *vadhish* (in *vadhish-ta* secunda plur. ind. act.) cujus radix est *vadh* « ferire » informata secunda sing. act. conj. *vadhish-a-s*.

In perfecto idem est inter sanscriticam et græcam linguam conjunctivorum discrimen atque in aoristo primo. Nam græci conjunctivi, ab indicativi themate in *a* brevem exeunte derivati, necessario vocalem longam ω, η, ab *ā* mutatam exhibent, ut λελοίπω-μεν, indicativo λελοίπα-μεν respondens; in sanscriticis autem, derivatis ab indicativi themate, radice reduplicata tantum, ut judicari potest; constante, vocalis *a* brevis, modi signum, post consonantes aut vocales sui dissimiles jus suum servat, ut in *ja-ghán-a-t* tertia sing. act. cum secunda sing. indicativi *ja-ghán-tha* comparata.

Ad optativum, et eum a præsentis themate derivatum, transimus, cujus, sicut conjunctivi, signum apertissime in verbis secundæ conjugationis perspicitur. Thematis enim *leviori* formæ addita et accentu in langua sanscritica[1] percussa syllaba *yā* efficitur optativus activi generis. E sanscriticis sex ad secundam conjugationem pertinentibus classibus, quum jam non Vedarum proprias formas respiciamus, sed in classica, quæ dicitur, lingua servatas et multorum grammaticorum opera publicas factas, satis erit unam proferre, nempe tertiam. Hujus exemplar sit e radicis *dhā* « statuere », non graviore *da-dhā*, sed leviore themate *da-dh* informatus optativus activi *dadh-yā'-m*, *dadh-yā'-s*, cet., cui græce aptissime respondet ex ejusdem radicis, non graviore τιθη,

1. Ea lex in lingua græca recentiore lege (de qua vide supra p. 8, not. 2) abrogata est.

sed leviore themate τιθε informatus optativus *τιθε-ίη-ν*, *τιθε-ίη-ς*, cet. Latina ipsa lingua ejusdem descriptionis optativum, secundæ quidem classi referendum, exhibet, verbi *sum* conjunctivum, qui dicitur, præsentis : *sīm*, *sīs*, *sit*, olim *s-iē-m*, *s-iē-s*, *s-ie-t*, e radice antiqua *as*, abjecta litera prima. Ut e latinis et e græcis formis perspicuum fit, nec non e vedicis in quibus elementum *yā* sæpe ut disyllabum legendum est, hoc elementum primitus *iā* fuit (cf. Benfeium, *Abhandl. der königl. Gesellsch. der Wiss. zu Göttingen*, 1871, p. 38).

In medio genere eorumdem verborum græca pariter et sanscritica lingua optativi insigne *ī* usurpant : *dádh-ī-mahi*, *τιθε-ί-μεθα*. Accentus sanscriticarum formarum, ut sæpe fit in levioribus, e themate in terminationem cadit, exceptis reduplicatis formis quæ eum in reduplicata syllaba accipiunt.

Ex elemento *ī* quoque cum thematibus in *a* brevem exeuntibus juncto, primæ conjugationis optativi efficiuntur : in quibus *a* et *ī* sic coierunt ut diphthongus *ai* orta sit, quæ græce quidem *οι*, sanscritice autem et latine, perfecta quasi fusura, *ē* facta est. Exempli causa affero e sanscritica et e græca lingua, cum thematibus præsentis indicativi primæ classis *bhára-*, *φέρο-*, quorum radix est *bhar*, *φερ*, comparata optativi themata *bháre-*, *φέροι-*, in *bháre-y-am*, *bháre-s*, *bháre-t*, *φέροι-μι*, *φέροι-ς*, *φέροι-(τ)* [1]. Latini optativi ejusdem descriptionis sunt : conjunctivus, qui dicitur, conjugationis (latinæ) I : *amē-m*, *amē-s*, *amē-t*, dein *amĕ-t*, et futurum, quum tertiæ, tum quartæ conjugationis, excepta prima persona quam a conjunctivo sumptam fuisse jam demonstravimus : *legē-s*, *lege-t*, *audiē-s*, *audie-t*.

Ad alia temporum themata pertinentes optativi informantur, aut primæ, aut secundæ conjugationis optativorum

1. Græci tamen primæ conjugationis optativi reperiuntur syllaba integra *ιη*, haud secus ac secundæ conjugationis optativi, informati : *φιλοίην*, *τιμῴην*, *δηλοίην*, pro *φιλεο-ιη-ν*, *τιμαο-ιη-ν*, *δηλοο-ιη-ν*. Primæ rursus conjugationis instar informatos optativos habent verba quædam secundæ conjugationis (Curt. *Das Verbum der griech Sprache*, II, p. 89).

instar. Sanscritici omnes secundæ exemplaribus respondent. Nam e perfecti themate *leviore*, addita syllaba in activo genere *yā*, in medio *ī*, fiunt optativi (vedici) formæ : ut e themate *sasrij*, cujus radix est *sarj*, *srij* « emittere », opt. act. pers. sing. tertia *sasrij-yā-t*, et e themate *dudhū*, cujus radix est *dhū* « excutere », opt. med. pers. sing. tertia *dudhuv-ī-ta*. Neque optativorum ad aoristi themata pertinentium diversa est informatio ; quod uno et altero exemplo satis demonstrabitur, personis opt. plur. med. primis *mams-ī-máhi*, *vandish-ī-máhi*, ad themata aoristi *mams*, *vandish*, e radicibus *man* « cogitare », *vand* « laudare », relatis. Nam quod formæ istæ precativo, quem vocant, assignantur, hoc merum nomen est, neque precativi et optativi dissimilis est usus, neque in allatis certe formis [1] origo. De accentus lege in optativis perfecti et aoristi taceo, quæ e non ita multis vedicis formis, et eis plerumque accentu orbatis, non satis aperte perspicitur.

Græci optativi futuri, aoristi, perfecti, seu activi, seu medii generis, nec non futuri et anterioris futuri passivi, omnes cum primæ conjugationis exemplaribus congruunt : λύσοι-μι, λύσαι-μι, λελύκοι-μι, λυσοί-μην, λυσαί-μην, λυθησοί-μην, λελυσοί-μην. Aoristi passivi optativus, secundæ conjugationis instar, syllabam integram ιη, antiquitus *yā*, exhibet : λυθε-ίη-ν. Verborum in μι desinentium optativus aoristi secundi, in activo quidem genere pariter, θε-ίη-ν, in medio autem, elemento *ī* addito, θε-ί-μην, informatur. Sed re vera ejusmodi aoristi themata a thematibus præsentis in secunda classe non differunt.

Latinæ linguæ conjunctivi, qui dicuntur, imperfecti et plusquamperfecti, in omnibus conjugationibus vere optativi sunt. Hi, quidquid de temporum ipsorum thematibus judicaveris [2], in eumdem certe sonum exeunt atque conjunctivus, aut, quo accuratius loquamur, optativus præsentis in prima (latina) conjugatione : unde conjicere obvium

1. De quibusdam precativi propriis formis vide infra, p. 38, not. 1.
2. De his vide infra cap. II, A.

est formas *legerē-s* pro *legesē-s*, *legissē-s*, exempli causa, e thematibus ortas esse primitus in *sa*, *ssa* terminatis, addito optativi in prima conjugatione præcipua signo *ī*.

Perfectum conjunctivi omisi, quippe quod ab anteriore futuro sejungi non possit. Hujus enim dissimile est in prima tantum persona, et in ea ipsa terminatione quidem, non autem themate. Futuri vero anterioris informatio eadem est atque futuri verbi *sum*. Nam e themate *leges* aut *legis*, quidquid de hujus origine conjeceris[1], informantur, — ut ex *es*, primitus *as*, radice, *er-o*, *er-is* pro *es-o*, *es-is*, — ita *leger-o*, *leger-is*, pro *leges-o*, *leges-is*, aut *legis-o*, *legis-is* (mutata *i* in *e*, sequentis *r*, quæ ipsa e litera *s* rhotacismo[2] orta est, vi et effectu). Futuri autem verbi substantivi antiquissimum exemplar exhibere videntur sanscriticæ formæ (*a*)*s-ya-si*, (*a*)*s-ya-ti*, e quibus postquam *y* et *a* in *ĭ* coierunt (confer supra, p. 11, *ĭ* ex *ya* in *cap-ĭ-s*, *cap-ĭ-mus*) factæ sunt formæ *er-i-s*, *er-i-t*.

Imo sanscriticæ et græcæ linguæ futurum primum, si cum aoristi quodam themate, vel in *s*, vel in *ish* sanscritice exeunte comparatur, ex eodem, addita syllaba *ya*, derivari potest. Exempli causa affero, sanscriticas formas *bhôts-ya-si* « scies », *bhavish-ya-si* « fies », græcam λέξομεν pro λεγσ- (j)ο-μεν. Futurum secundum græcum eodem modo e themate in εσ exeunte informatur; τυπέομεν pro τυπε (σ-j)ο-μεν. A futuris activi terminatione tantum futura medii differunt, thematis quoque *priore* parte[3] græca passivi futura.

Conjunctivi, qui dicitur, perfecti in latina lingua informationem futuri informationi in græca et in sanscritica respondere paulo superius demonstravi. Jam antea lectorem monueram, quæ in sanscritica et in græca lingua conjunctivi aut optativi formæ sunt, eas in latina futuri vicem ex-

1. Vide *ibid.*
2. *De rhotacismo* vide thesim Facultati literarum parisiensi propositam a Carolo Joret, Parisiis, apud Franck, 1875.
3. De qua vide infra cap. II, A.

plere. Supra dictis igitur consentaneum erit veri futuri (verum dico quod sanscriticæ simul et græcæ linguæ commune est) structuram cum optativi structura comparare, et ambo, quum prosodia tantum vocalis *a*, in optativo quidem longa (*yā*), in futuro autem brevi (*ya*), differant, ad eamdem aut simillimam certe originem referre. Et hoc eo confidentius quod eamdem syllabam *ya*, per *a* brevem exeuntem, exhibet in græca lingua aoristi primi æolicus, qui dicitur, optativus; λύσε-ια, λύσε-ια-ς, cet. [1].

Summa hujus capitis est a variis temporum thematibus conjunctivum una semper et eadem ratione, addita vocali *a* brevi, optativum variis, sed similibus modis derivari, addita syllaba *yā* aut *ya*, aut mera litera *ī*, ut jam suspicari possumus, e syllaba *yā* coitione literarum orta [2]; — hæc autem modorum signa in verbis aut temporibus graviorum et leviorum formarum vicissitudine variis, uni semper [3] et eidem themati addi, graviori conjunctivi, leviori optativi signum; — denique futuri informationem in unaquaque trium linguarum cum optativi informatione arcte cohærere, in latina autem, ab ipso conjunctivo sumpta forma una absolvi.

1. Alias optativi formas syllabam *ya* brevem exhibentes afferunt Benfeius (*Abhandl. der Kön. Gesellsch. der Wiss. zu Göttingen*, 1871) Curtiusque (*Das Verbum der griech. Sprache*, II). Sed *duhīyat* (Benf., p. 65) ad thema denominativi *duhīya* refert Delbruckius (*Das altindische Verbum*, p. 205), ἀποθείομαι et similes aliquas (Benf., p. 59) Curtius pro legitimis conjunctivi formis habet (*loc. cit.*, p. 58). Prima optativi singularis persona in prima conjugatione sanscritice per *yam* desinens sine dubio, pace Curtii (p. 75) dixerim, non Schleichero (§ 290) auctore in *bhare-ya-m*, sed Delbruckii (p. 195) exemplo in *bharey-a-m* dividenda est. Nunquam enim in sanscritica lingua thematibus quæ non in *a*, *ā*, desinunt, primæ sing. act. personæ secundaria terminatio adhibetur *m* nisi antecedente vocali *a* (Delbr., p. 24). Quam vocalem necessitate quadam pronuntiationis ante ultimam *m* interpositam esse fingit Delbruckius (*ibid.*), reluctante Curtio (p. 75), ego vero analogiæ lege a formis præcipuæ conjugationis in *am* desinentibus sumptam esse existimo. Nec non in forma græca tert. pl. personæ λέγοιεν (Curt., p. 75) vocalis ε ad terminationem potest referri ut in ἦσ-αν vocalis α : quod ipse Curtius agnovisse videtur de sanscriticis formis ut *bhareyus* (aut potius *bhareyur*, vide J. Darmesteter, *Mémoires de la Société de Linguistique*, III, p. 95).

2. Ea est Curtii sententia (*Das Verbum*, II, p. 81).

3. Exceptis paucissimis linguæ græcæ formis. Vide supra p. 7.

# CAPUT II.

## DE QUÆSTIONIBUS PROPONENDIS.

---

### A. *Quod ad formam attineat, utrum modi simplices sint an compositi.*

Quum jam conjunctivi et optativi materiam in partes resolutam habeamus, et ex his partibus quæ una modi signum est, eam sejunctam considerare possimus, de signi illius natura et vi antiquissima, quod est hujus libelli argumentum, tractandum erit. Cujus disputationis id, ut in procemio nuntiavi, principium erit, ut de quæstionibus proponendis paulo fusius disseram. Quum autem duplex sit quæstio de natura signi et de ejus vi, sive de antiquissimis modorum sensibus, prior nunc de natura signi mihi attingenda erit : nempe utrum elementum illud, quo addito conjunctivum et optativum e variis temporum thematibus effici jam ostenderim, pro suffixa quadam particula an pro auxiliari verbo sit habendum, id est, ut fert titulus huic capitis parti inscriptus, utrum modi simplices sint an compositi.

Quæ quidem quæstio cum altera in posteriore capitis parte proponenda, utrum quum conjunctivi, tum optativi, unus primitus an plures sensus fuerint, arcte connectitur. Unum quidem sensum declarare a verbi auxiliaris vi antiquissima non alienum fuisse videtur, quod necesse est apertiorem quemdam et, ut ita dicam, crassiorem sensum significavisse, a quo posteriores et abstrusiores sensus paulatim et ex ordine declinati sint. Particulis autem qui-

bus, radicibus aut thematibus suffixis, primaria aut secundaria themata in indoeuropæis linguis effecta sunt, nulla nisi indicandi vis inerat dum sui juris fuêrunt, necdum cum radice aut themate conflatæ. Eædem, postquam radici aut themati jam informato adhæserunt, novas omnino susceperunt partes et ad varios usus descriptione fere libera accommodatæ sunt; qui, ut a proprio particularum usu non derivari queunt, ita, quasi interrupta sensuum declinatione, facilius jus suum singuli vindicare possunt, nullo a ceteris derivato. Sed de hoc alias. Nunc dilata de sensu quæstione, de forma tántum disputabo et ostendam : prius, signum quum conjunctivi, tum optativi, suffixa tantum particula constare *potuisse:* posterius, an auxiliari verbo constare *potuerit,* saltem dubium esse.

De priore argumento paucissima dicere satis erit. Res est notissima, (non opinionem dico de qua fere omnes grammaticæ comparativæ scriptores consentiunt), specialium, quæ vocantur, temporum themata non a nominum thematibus differre. Sic sanscritice thema *dhrishnu* in prima pers. plur. præs. ind. *dhrishnu-mas* « audemus », cum adjectivi themate in nomin. sing. *dhrishnu-s* « audax », græce ἀγο in prima pers. plur. præs. ind. ἄγο-μεν cum nominis themate in nominativo sing. ἀγό-ς « dux », congruit. Sicut autem a themate nominis primario, altera suffixa particula, thema declinari potest quod derivatum aut secundarium nominant, ita a themate præsentis, nominalium thematum simili, alterum, id est conjunctivi aut optativi thema, altera suffixa particula, declinari potuisse quis infitietur? Imo derivatum quidem in ceteris classibus hoc thema, in secunda autem ipsum primarium sit : nam ut græce λεγο in λέγο-μεν e radice λεγ, suffixa particula ο informatur, sic ἰο in ἴο-μεν e radice ἰ, suffixa particula ο informari potuit. Neque aliam, ut infra videbimus, Curtius Delbruckiusque ipsi rationem invenerunt, qua conjunctivi, quod ad formam attinet, originem explicarent.

Quod autem omnes de signo conjunctivi existimaverunt,

nihil id esse nisi suffixam particulam, idem de optativi signo fere unus, ni fallor, Schleicher prædicavit (*Compend.* § 290), ceteri in elementis *ī*, *yā* aut *ya* verbi auxiliaris radicem agnoscendam judicaverunt. Hanc sententiam quum infra refellere mihi proposuerim, nunc prægressione quadam disputationis ita impugnabo ut, omisso de quo ambigitur optativi indicio, doctrinam universam de ceteris, quæ habentur, compositis verbi formis ratione et via minuam, et ostendam jure de ea dubitari posse [1].

De nonnullis (si minus de ita multis ut quidam volunt), verbi formis compositione aliqua explicandis, quamvis omnes fere grammaticæ comparativæ scriptores consentiant, non eadem tamen apud omnes est doctrina. Mitto quod formas in una tantum lingua, aut in quibusdam arctiore vinculo inter se religatis, repertas, alii in his ipsis linguis natas contendunt, alii ab antiquiore sermonis ætate servatas existimant. His Curtius annumerandus, cujus sententia est omnium pro compositis habitarum formarum quasi semina certe in lingua indoeuropæarum genitrice existere potuisse (*Chronologie*, gall. transl. p. 95); illis vero inter multos Schleicher qui, exempli causa, imperfecti latini *legebam* compositionem, quam fingit, e themate *lege* et verbo auxiliari *bhū*, latine *fui*, *novam* vocat (*Comp.* § 301). Sed de hac quæstione in cursu disputationis. Altera multo gravior est: utrum cum radice *dic* in *dixi* pro *dic-si*, aut cum themate verbali *lege* in *lege-bam*, nudæ prius radices *as*, latine *es*

1. De eadem materia quamvis aliquot jam grammatici, nonnullos abhinc annos, controversiam moverint, in primis Westphal (*Philosophisch-historische Grammatik der deutschen Sprache*) et Merguetius (*Die Entwicklung der lateinischen Formenbildung*), reluctantibus aliis et Curtio (*Das Verbum der griechischen Sprache*, I, p. 28), propriam continuo, brevitatis causa, viam tractandæ quæstionis ingredior. — Commentationem de compositione verbali multos jam abhinc annos a gallo scriptore editam, et hodie parum notam mihi indicavit magister meus Egger (*Du verbe substantif et de son emploi comme auxiliaire dans les conjugaisons sanskrite, grecque et latine à la voix active*, par J. B. F. Obry, — Extrait des Mémoires de l'Académie du département de la Somme), nec non ejusdem scriptoris librum, *Étude historique et philologique sur le participe passé français et sur ses verbes auxiliaires* (Amiens, Duval et Herment, 1851) inscriptum.

« esse » et *bhū*, latine *fu* « fieri, esse », coaluerint, dein vocabulo jam conflato terminationes personarum sint adjunctæ ; an cum iisdem elementis continuo radicum *as*, *bhū*, jam flexæ formæ compositæ sint. Prioris quidem interpretationis unum et alterum fautorem novissime repertum fuisse mox commemorabo. Primi grammaticæ comparativæ scriptores, ante omnes ipse Boppius, e duobus neutram, quæstione nondum satis aperte proposita, pertinacius tutati sunt. Plerisque autem æqualibus nostris posterior approbata est : de ea igitur prius disserendum.

Res est notissima, in servato linguarum statu aliquot esse auxiliaria, quæ vocantur, verba, quorum significatio, a prima quidem origine crassior, paulatim autem exquisitior facta, denique in conjunctionem vocum universe exprimendam abiit. Auxiliaria dicuntur, quippe quorum auxilio formæ verborum ceterorum usitatissimæ, nempe participia vel infinitivi, juxta ipsa positæ, periphrasi expressa tempora, modos, genera efficiant. Vix aliter viri docti quorum sententiæ repugnare mihi certum est, fingunt in statu linguarum vetustiore, imo nondum absoluta indoeuropæi sermonis informatione, auxiliaria verba, aut eadem, aut similia exstitisse, quorum formæ, secundum leges jam vigentes flexæ, haud cum veris, sive participiis, sive infinitivis, sed cum radicibus aut verbalibus thematibus pro nominibus, aut agentis, aut actionis, usurpatis coaluerint, et sic compositione magis quam periphrasi proprie dicta expressa tempora, modos, genera effecerint. Imo illi auxiliarium verborum formas, non solum cum radice aut themate quodam verbali conjunctas esse, sed ipsas nonnunquam e radice prioris auxiliaris cum formis flexis alterius conjuncta ortas esse asserunt, qui e futuris, sanscritico in *-syāmi*, græco in -σω (pro σ(j)ω), desinentibus, futurum radicis *as* « esse » eruunt hoc autem, optativi simile, deducunt a radice *as* instructa formis flexis *auxiliaris alterius* de quo plura quum, ad propriam materiam rediens, sepositam nunc doctrinæ universæ partem attingam.

Ut futuri, ita aoristi primi græce in σα, σας, σε, sanscritice in *sam*, *sas*, *sat*, aut in *sam*, *sīs*, *sīt*, aut in *isham*, *īs*, *īt*, aut in *sisham*, *sīs*, *sīt*, desinentis literam *s* radici *as* « esse » tribuendam fere omnes grammaticæ comparativæ scriptores consentiunt. Rem accuratissime explicare nititur Curtius (*Chronologie*, p. 90), dum aoristum primum a *præterito* radicis *as* cum radice verbi prædicativi juncto deducit.

E radice verbi prædicativi formis flexis verbi *ya*, sanscritice *yā* « ire », instructa constare quartam, quam vocant, conjugationis classem, (*çúc-yā-mi* « purus sum », in medio genere *çúc-ye*, σχίζω pro σχιδ-(j)ω), a qua in sanscritica lingua passivum genus accentu tantum differt ( *tud-yé* « tundor »), plerique graviores auctores (cf. *Chronologie*, p. 89), excepto Schleichero (vide infra p. 40), docent. Iidem in denominativis verbis, exempli causa in verbis decimæ classis, thematibus nominalibus, qualia sunt sanscriticum *bhāra* « onus », græcum φόρο-ς « onus, dein tributum », adjunctas esse formas flexas ejusdem radicis *ya* « ire » existimant, unde *bhāra-yāmi*, φορέ-(j)ω ortæ essent (*Chronologie*, p. 95).

Hæc sunt fere, præter optativum de quo nunc tacemus, compositionis exempla quæ grammaticæ comparativæ scriptores plerique linguæ omnium indoeuropæarum genitrici tribuerunt. Alia sunt autem quæ e singulis linguis hausta ad singulas tantum referenda multi quidem censuerunt, Curtius autem, ut supra dictum est, tempestati qua gentes indoeuropææ communem vitam agebant vindicari posse existimavit. Latinæ ante omnes linguæ frequentissimus compositarum formarum usus in declinando verbo assignatus est. Imperfecti enim in *bam* desinentis, futuri in *bo*, perfecti in *vi* vel *ui*, litera *b* aut *u* ad verbum *bhū* « fieri », — perfecti in *si*, pl. q. perfecti in *eram*, fut. anterioris in *ero*, temporum conjunctivi in *erem*, *erim*, *issem*, litera *s*, interdum in *r* mutata, ad verbum *as* « esse » relata est ; quod verbum cum propria radice in *-is-sem*, cum radice *bhū* in *-vero* ( *amavero* ) ipsum compositum reperiatur. Ejusdem verbi *as* præteriti

formam in tertiis personis pluralis numeri per σαν exeuntibus (ἐλελύκει-σαν, cet.), usurpare fingunt linguam græcam : cui alia quoque tribuitur compositio verbalis, et ea illi cum germanicis linguis communis, verbum *dhā* « ponere, facere » exhibens, quod, ut in perfecto gotico (*nasi-da* « servavi »), sic in aoristo et in futuro primo passivi græci (ἐλύ-θην, λυ-θήσομαι), sit inclusum. Radix *ya* « ire » quoque in ejusdem linguæ secundo, quum aoristo, tum futuro passivi, quæsita est. Cetera ejusmodi mihi jam a proposito argumento digredienti eo magis omittere licet, quod si postquam notissima tantum et maxime probata attuli, disciplina tamen etiam claudicare visa erit, nihil amplius desiderabitur ad id quod unum in animo habeo efficiendum, nempe ut de compositione verbali in universum dubitationem lectori injiciam.

Verba quidem auxiliaria jam diximus in illa linguarum ætate cujus monumenta exstant sæpius frequentata et celebrata esse. Sed eam novæ locutionis fingendæ, et, quod vulgo fit, in locum formæ jam senescentis substituendæ, viam et rationem in antiquissimarum formarum figurationem transferre, dubito an grammatici sit cauti considerati-que, et satis lucide varia sermonis tempora dijudicantis. Ejusmodi enim locutiones in recentioribus quidem linguis abundant, ut in gallica, cum præteriti participio aut infinitivo præsentis verbi simplicis conjunctum, — auxiliare *être*, e latinis verbis *sum*, *fui*, *sto* ortum, pro passivo, — idem aut *avoir*, latine *habere*, pro variis præteritis in activo genere, — imo *avoir* pro futuro tempore et conditionali modo in *aimer-ai*, *aimer-ais*, usurpante ; et in germanicis, quæ variis[1] per varias dialectos auxiliaribus ad exprimenda, quum passivum genus, tum in activo genere præterita tempora, futurum et conditionalem, utuntur. Easdem vero, quo altius sermonis memoriam repetimus, eo rariores fieri videmus, et paucio-

1. Non tantum verbis *sein*, *wesen* aut *to be* « esse » et *haben* « habere », sed *werden* « fieri », *to will* « velle », *to shall* « debere », *to do* « facere » cet.

rum auxiliarium verborum ope effici. Nam in latina lingua, gallicæ genitrice, verba *habere* et *stare* nondum auxiliarium partes agunt, verba *sum* et *fui* ad exprimendum, partim tantum passivum genus, in activo autem genere nihil nisi futurum, quum conjunctivi, tum infinitivi, conferuntur. Aliud quidem auxiliare *eo* exhibet futuri passivi infinitivus : *amatum iri*. Hujus autem in gallica lingua vicarium est verbum *je vais* in alia futuri informatione *je vais aimer*. Auxiliarium igitur, non tantum rariorem usum, sed etiam minorem numerum in latina lingua fuisse constat. Quid dicam de græca quæ in radice ἐσ, primitus *as* « esse » illum de quo agimus usum vix inchoatum, nempe in tertiis pers. perf. et pl. q. perf. med. vel pass. ut ἠκουσμένοι εἰσί, ἦσαν, et ejusmodi locutionibus, in radice *bhū* « fui » nullum omnino exhibet : nam perfectum πέφυκα, si ad copulæ partes agendas aptum videtur, pro auxiliari certe nunquam usurpatur. In sanscritica lingua recentiore auxiliaris quidem verbi vicem explet radix *as*[1] « esse » in *auxiliari*, quod vocant, futuro[2], *boddhāsmi*, in vetustiore autem, seu vedica, eadem radix copulæ[3] quidem sæpissime, auxiliaris autem nondum partes defendit.

Sin autem grammaticis de compositis verborum formis disserentibus fidem adhibeamus, quas locutiones in recentioribus linguis plures, in antiquioribus autem pauciores reperimus, eædem sermonis origines primas repetentibus rursus

1. De periphrasi taceo, in sanscritica lingua haud rara, e formis verbi cujusvis « ire » significantis et abstracto nomine constante, qualis est in *Nala* IX, 8, *sa gacched vadhyatām mama*, quam totidem verbis transferam « Is iret in qualitatem occidendi mihi, » id est « Is occidendus esset mihi » (Cf. Benf. *Ueber die Entstehung und Verwendung der im Sanskrit mit* r *anlautenden Personalendungen* aus der Abh. der königl. Gesellschaft der Wiss. zu Göttingen, 1870, p. 31). Ex ejusmodi locutionibus verba *eundi* ad auxiliarem usum apta apparent, nondum autem in iis auxiliaria habenda sunt.

2. Nec non in *periphrastico* dicto perfecto, ubi in ejus vicem *bhū* vel etiam *kri* « facere » substitui potest.

3. Inter copulam et auxiliare verbum proprie dictum hoc mihi interesse videtur discrimen, quod copula cum variis quidem nominum generibus collocatur et ea prædicati vicem explere testatur, cum nullo autem peculiari genere (participiis exempli causa) ita jungitur ut ex utroque vocabulo tempus, modus, genus periphrasi expressum oriatur; quod vere auxiliaris proprium est.

abundare videantur. Imo, ut frequentata magis, ita plura auxiliaria verba fuerint in illis obscuris linguæ informandæ primordiis, quam in hac, aut juventute, aut etiam maturitate sermonis, de qua monumenta literarum testantur. Non omnia enim nominavimus quorum jam fautor aliquis prodiit, neque omnia suspicari possumus quæ doctrinæ consequenter ad obscuriores verbi formas, perfectum exempli causa græcum in κα desinens, explicandas posthac fortasse eruantur. Satis erit lectorem commonefacere virum doctissimum Benfeium nuper sanscriticas tertiarum plur. med. personarum terminationes litera *r* incipientes radici *ar* « ire » vindicavisse (*Abandhl. der königl. Gesellschaft der Wiss. zu Göttingen*, 1870, cf. *Revue critique*, 1872, I, p. 35).

Illud igitur primum contra doctrinam a plurimis probatam objiciendum habui, quod parum verisimile est tot verborum in longinqua[1] sermonis ætate sensum, primitus crassiorem, ita minutum fuisse ut auxiliarium vicem explerent, quum in antiquissimis literarum monumentis auxiliarium usum vix incipientem videamus.

At illa, quæ finguntur, auxiliaria verba, quum antea proprii juris fuerint, et proprium sensum significaverint, illone certe sensu peculiariter apta fuerunt ad temporum, modorum, generum, vim exprimendam? Cui quæstioni hoc, ut opinor, responsum dari potest, fictam compositionem ad explicandum sensum plerumque parum proficere, imo interdum explicationi officere.

Non enim cum verbi *as* « esse » forma qualibet, sed cum forma ad exprimendum futurum jam accommodata (utpote optativo affini), (*a*)*s-ya-ti*, junctam ceterorum verborum radicem futurum effecisse docemur ; eadem autem verba, nullo verbi *as* auxilio, proprium ipsorum optativum pro futuro usurpandum præbebant, et reipsa præstiterunt, ut futura

1. Maxime longinquam intelliget lector postquam quæ infra in pagina 29 notantur animadverterit.

latina *leges*, *audies* (de quibus vide supra p. 14) testantur. Similia de aoristo dici possunt, nec non de latinis temporibus in *bo*, *bam*, *vi*, *si*, *erem* [1], exeuntibus, e quibus, si apertius loqui voluerunt viri docti a quibus dissentio, verborum auxiliarium *bhū* aut *as* futurum, præteritum, conjunctivum (aut potius optativum) quemdam eruere debuerunt. Neque aliter judicandum est de *debili*, quod vocatur, præterito germanicarum linguarum, aut de quibusdam græcis præteriti formis in θον ut ἔσχεθον, quibus præteritum radicis *dhā* « facere » inesse debuerit. In his et talibus eo compositio evasisset ut unum verbum pro ceteris terminationes acciperet quæ et illorum propriæ erant, et sic notio verbi prædicativi apertius a signo discerneretur, quo notionum inter se conjunctio indicatur. Quod et sæpissime et exquisitissime fit in lingua anglica recentiore, omnium verborum, vel participia præsentis cum verbo declinato *I am* (*I am sealing*), vel infinitivos cum verbo declinato *I do* (*I do seal*) adhibente. Sed illa loquendi ratio, ut ad provectam linguarum ætatem accommodatissima est, qua partes sententiarum singulæ singulis, ut fert facultas, vocibus exprimuntur, ita maxime a vetustiore sermonis consuetudine aliena videtur; nec qui famosæ illi doctrinæ indulgere noluerunt de subjecto et prædicato copula quadam inter se necessario conjungendis, ejusmodi copulæ usum, non omnibus quidem, sed aliquot tamen temporibus debuerunt tam libenter assignare. Radicis autem *as* partes in supra dictis formis nullas nisi copulæ fuisse, si quæ modo fuerint, jam satis demonstravimus.

Nec longe dissimilis, ut mihi videtur, radicis *ya* « ire » in quarta conjugationis classe, aut in sanscritico passivo, usus esse potuisset. Quod de quartæ quidem classis formis fingit Curtius (*Chronologie*, p. 88), verbo « ire »

1. Tempora in *eram*, *ero*, *erim*, *issem*, omitto. Nam vix credere potuerunt viri docti in formis *legeram*, *legero*, quacunque ratione eas diviserint, thema perfecti, *participii præteriti activi modo*, cum imperfecto aut futuro verbi *as* locutionem effecisse quales sunt usitatissimæ *amatus eram*, *amatus ero*. Ejusmodi formæ oriri non potuerunt nisi secundum aliarum analogiam.

in iis significari actionis diutius continuatæ notionem, hoc attingere supersedeo. Nam etiamsi omnibus Curtius (quod ei non successit, cf. Thurot. *Mémoires de la Société de linguistique*, I, p. 111) doctrinam approbavisset de præsentis et aoristi thematum sensibus inter se collatis, hoc certe non negaret thema præsentis sæpissime aut radice nuda constare, aut mera particula suffixa informari. Quod ad passivum significandum spectat, dubito an ad illum usum facilius per notionem *eundi* transeatur. Nam quod notio passionis ad notionem actionis diutius continuatæ refertur (Curtius, *loc. cit.*, p. 89), hoc est implicare magis quam explicare nodum. E locutionibus autem quales sunt latinæ *venum ire, amatum iri* nihil hauriri potest. Nam in *amatum iri* non ipsi verbo *eundi* passionis notio inest, quum ipsum passivi terminationem exhibeat, sed futuri ut in gallica periphrasi *je vais aimer*. In *venum ire* autem, verbo *ire* non magis passivum genus indicatur quam in *lusum ire* activum. Vis passiva in ejusmodi locutionibus ipsi nomini inest, aut expressa ut in sanscritica *sa gached vadhyatām mama* (cf. *supra*, p. 24 not. 1), quum abstractum nomen *vadhyatā* « qualitas personæ occidendæ » a participio futuro passivi sit derivatum, aut intellecta certe, ut in latina *venum ire*, et in aliis per varias linguas multis, quum nominum abstractorum vis per se, et antequam certioribus usus finibus terminata sit, non magis activa fuerit quam passiva. Ne autem mihi opposueris locutionem cum *venum ire* comparatam *venum dare*, intellige in his exemplis verbum *dare* a verbo *ire*, non ut a passivo genere activum, sed ut ab activo verbi neutrius causativum [1], differre. Haud aliter in illo sanscriticæ linguæ passivo, si per ejusdem modi periphrasim informatum fuisset, radici potius, infinitivi aut nominis actionis vicem explenti, quam auxiliari verbo vis passiva esset tribuenda. Quum autem nihil impediisset quin nomen actionis, haud secus ac nomen agentis in præsentis activi in-

1. Vide mox infra, p. 28.

formatione, cum personarum signis, nullo medio interveniente elemento coiret, jure dici posset in passivo sanscritico, si modo esset compositum, verbum « ire » copulæ instar abundare.

Imo auxiliare in compositis quæ putantur formis aliquando non abundare, sed potius rem implicare prænuntiavi, quod in passivi græci primo aoristo futuroque manifestum est. Radice enim *dhā* « facere », si terminationes omiseris quæ in aoristo activi sunt generis, passivum nunquam significari potuit, sed potius activum ut in anglica lingua (*I do seal*), aut etiam causativum[1] ut in latina, jam allatæ *venum ire* opposita, locutione *venum dare*, cujus verbum *dare* jure magis ad radicem *dhā* « ponere, facere », quam ad radicem *dā* « dare » retuleris.

Radicem *ya* « ire » contra, quæ si parum ad passivum, minime certe ad causativum exprimendum valet, in causativo sanscritico (*bodháyati*) reperiunt qui denominativa verba in universum e thematibus nominalibus cum formis radicis *ya* compositis orta esse asserunt. Hanc vero difficultatem sensit Curtius (*Chronologie*, p. 96), et expedire conatus est dum finxit causativi sensum in ejusmodi formis, aut recentiorem esse, aut ad ipsum nomen ex quo denominativum verbum effectum est, referendum. Posteriori equidem interpretationi eo libentius accedam quod simillimam supra ad passivum explicandum attuli. Rursus autem mihi doctum virum assensurum esse spero concludenti, in formis quibus auxiliare *ya* inesse fingit, hanc fictionem sensui explicando, si minus officit, parum certe prodesse.

Hæc sunt fere, quod ad sensum attinet, quæ contra adversariorum sententiam objicienda habebam. Nunc de forma disputandum, in qua hoc supra dictum maxime notandum est, ante verbum auxiliare, si quod est, ra-

1. Hanc difficultatem cum multis sensit Curtius, qui ad eam removendam finxit (*Das Verbum*, II, p. 352) themata quibus radix *dhā* inesse contendit non prius ad certa, seu tempora, seu genera, exprimenda fuisse accommodata, quam eorum originis memoria deleta esset.

dicem aut thema, seu infinitivi, seu participii vices explens, nulla terminatione instructum apparere. Quod quidem nihil in se habet absurdi si flexio, quam vocant, nominum, ut vult Curtius, multo post flexionem verborum orta est. Sed quæ de verbis in vetustiore sermonis ætate pro auxiliaribus habendis jam objeci, hæc eo graviora fiunt quod adversariis asserendum est, non solum in indoeuropæa lingua genitrice, sed ante etiam quam nomina inflecti cœperint, tot verba e crassiore sensu ad meram temporum, modorum, generum, informandorum vim descendisse. Non alia enim lege, ut assentiente Curtio vel ipso diximus, cum radicibus aut thematibus hæc verba coalescere potuerunt.

Altera vero ex eo ipso controversia fieri potest, quod formæ nostræ vere compositæ habendæ sint, non e duabus pariter flexis vocibus conflatæ ad instar compositorum improprie dictorum. Nam composita e verbo flexo cum radice aut themate nudo juncto rarissime informata sunt, aut potius ejusmodi compositionis vix alia, in vetustiore certe sermonis ætate, afferuntur specimina atque formæ ipsæ de quibus quæstio est (vide ipsum Curtium, *loc. cit.*, p. 56). Nam, exempli causa, græcum οἰκοδομέω, non e verbo quodam δομεω cum themate οἰκο juncto, sed e themate compositi nominis οἰκοδόμο-ς derivatum est. Ex iis quæ Corssenius (*Aussprache*, alt. ed. I, p. 82, 577; II, p. 392, 514, 583) affert, nonnulla pariter ut *gnarigare, mitigare*, ex obsoleto quodam *gnarigu-s, mitigu-s*, derivari possunt, alia non vere composita sunt, sed juxtaposita : nam *sat* in *satagere* haud secus ac *bene* in *benefacere*, *male* in *malefacere*, nihil est nisi adverbium cum verbo simplici junctum. De *calefacere* et similibus mox dicam. — Verba flexa in universum cum thematibus non coire ipsa grammatica linguæ sanscriticæ nos docet, paucis tamen extra regulam positis (Vide *Bopp. Kritische Grammatik*, § 585). *Bahu* autem, in *bahu-man* « magni æstimare », non thema tantum, sed potius accusativus neutrius generis est. Idem in *çrad-*

*dhā*, latine *credere*[1], de voce *çrad* affirmari potest quæ, ut J. Darmesteter elegantissime nuper demonstravit (*Mémoires de la Société de linguistique*, III, p. 52), nihil est nisi latinum nomen *cor*(*d*)-, *cord-is*, litera tantum *r* loco mota. Non hæc igitur composita proprie dicta, sed tantum juxtaposita sunt. Haud aliter sanscritica *prādur-as*, *prādur-bhū* « manifestum fieri », *alam-kri* « ornare », *sat-kri* « hospitio accipere », *namas-kri*[2] « adorare », *prādush-kri* « manifestum reddere », explicanda sunt, in quibus *prādus*, *alam* sunt adverbia, *sat*, *namas* neutrius generis accusativi.

Restant latina verba composita e verbo *facere* cum forma thematum verbalium secundæ conjugationis simili, ut *calēfacere*, serius *calĕfacere*[3] (Corssen. *Aussprache*, alt. ed. II, p, 514), et sanscritica, rarius quidem e radice *as* « esse » composita, frequentius autem e radicibus *bhū* « fieri », *kri* « facere » jure declinatis, cum forma thematum nominalium obscuriore. Obscuriorem dico quæ non themate mero constat, sed ultimam thematis vocalem, si *i* aut *u* fuerit, productam, si *a*, in *ī* mutatam, exhibet : *çucī-kri* « purum facere », *laghū-kri* « levem facere », *tarunī-kri* « juvenem facere », cet. Eo tamen adduci possemus ut ejusmodi formam pro instrumentali haberemus e pleniore forma *çucyā*, *laghvā*, per contractionem syllabæ *yā*, *vā*, orto, et eo, in *tarunī* saltem e *tarunyā*, feminino, vedicorum instar informato, instrumentali; qui, pro adverbio, in locutionibus ad verbum transferendis « pure facere, leviter facere, juvenili modo facere » usurpatus fuisset. Nam si formas ut *çuklī* e *çukla* cujus femininum est *çuklā*, aut *rajī* e *rajas*,

1. Si *jubere*, ut vult Benfeius (*Abhandl. der Königl. Gesellsch. der Wiss. zu Göttingen*, 1871) e *jus*, sanscritice *yos* ; cum *habere* juncto compositum sit, hoc quoque *jus* pro accusativo sit habendum.

2. *Namas-kri* in antiquioribus monumentis cum dativo aut etiam (Mahâbh.) cum locativo, in recentioribus tantum cum accusativo personæ adoratæ jungitur. (Böhtl. u. R. *Wörterb.*)

3. Vocalis correptio non frequens tantum, sed etiam antiqua est : imo vocalis breviata mature evanuit in *calfacere*, *olfacere*, *arfacere*.

*mātrī* e *mātar*, *in çuklī-kri* « album facere », *rajī-kri* « pulverem facere », *mātrī-bhū* « matrem fieri », objiceres, responderi posset genuinam in prioribus et flexione explicandam informationem ad posteriores per analogiam translatam esse. Neque aliter e latino *calē-facere* et similibus adverbium hauriri posset ad nominale thema referendum quod in verbo *calēre* personarum signis instructum apparet, haud secus ac *beate* themati *beato* in *beatu-s* referendum. Sed quominus hanc difficultatis expediendæ viam ingrediar prohibet mira mutationum thematis similitudo in sanscriticis, de quibus agitur, compositis et denominativis ejusdem linguæ elemento *ya* informatis ; nec non latinorum compositorum *cale-facere*, *tepe-facere*, *are-facere*, cet., cum denominativis secundæ conjugationis *calēre*, *tepēre*, *arēre*, congruentia. Cave autem ne e *çucī-kri*, *laghū-kri*, cet., cum *çucī-ya*, *laghū-ya*, aut si ea non frequentata fuerunt, cum similibus collatis, argumentum trahas quo elementum *ya* in denominativis pro radice *ya* « ire » habendum confirmes[1]. Hæc enim de quibus agimus composita, seu sanscritica, seu latina, et illa quæ in variis temporibus, modis, generibus, denominativis, agnoscunt adversarii nostri, in diversissimis certe sermonis ætatibus informata fuerint. Nam *calefacere* cum *calefieri* comparare satis est ut in utroque propria latinæ linguæ, non omnibus indoeuropæis communis informatio dignoscatur. *Çucī-kri* autem et similia composita non sanscriticæ tantum, sed sanscriticæ recentioris propria sunt : nullum enim ejusmodi in vetustiore *R*ig-Vedæ sermone reperitur[2]. Imo e nostris compositis colligi posse nego, quum in sanscritica, tum in latina lingua, compositorum exemplaria exstitisse, a lingua genitrice

1. Latina composita sciens omitto; nam si *calēre* e themate nominali primitus *kala-ya* sonante ortum est, non elemento *ya facere* in *calē-facere* respondet, quum *calē* integrum thema *kalaya* continere videatur.

2. In *akhkhalī-kritya* VII, 103, 3, *akhkhalī* mera interjectio est, cujus formam genuinam *akhkhala* finxit Sāya*n*a adductus similitudine vocalis *ī* in supra dictis formis ab *a* mutatæ. Vocalem *ā* longam exhibent similis interjectio in *alalā-bhavant* IV, 18, 6, et adjectivum, si quod est, in *janjanā-bhavant* VIII, 43, 8.

accepta, quibus id institutum sit ut verbum declinatum cum themate nominali nudo coalesceret. Nam hæc, si qua exstitissent, mutationibus sonorum, quum recentiora orta sunt, magis fuissent deformata quam ut exemplaria ad alia informanda præberent. Nihil igitur restat nisi ut *calē-facere*, *çucī-kri*, et similia, abusu quodam orta esse credamus ad obscuriorem denominativorum sensum illustrandum verbo altero addito. Hæ sunt minime genuinæ et, meo quidem judicio, quasi barbaræ formæ, quarum similes linguæ genitrici assignare abnuo. Quidquid autem de iis judicatum erit, unum certe manifestum est eas ad recentiorem sermonis ætatem pertinere.

Hactenus hæc disputationis pars cujus summa est : radicis aut thematis nudi cum verbo flexo compositi nulla esse *in universum* explorata exempla, ad vetustiorem certe sermonis indoeuropæi ætatem pertinentia ; compositionem igitur *verbi auxiliaris*, terminationibus instructi, cum radice aut themate verbi prædicativi nulla analogia confirmari posse.

Ad alteram nunc interpretationem transeamus, ab iis datam qui verbi auxiliaris, non formas flexas, sed radicem aut thema e radice informatum nudum, posteriorem compositi partem effecisse fingunt, dein ipsum compositum, ut thema verbale usurpatum, proprio jure declinatum esse. Sic novissime nodum expedire conatus est doctor Pauli (*Zeitschrift für vergl. Sprachwiss.* XX, p. 321 seq.), et huic denique (*ibid.* XXII, p. 144 seq.) etsi non plane assensus est, ab ejus tamen sententia minus abhorrere se professus est Merguetius, qui prius[1] argumentis, partim iisdem atque nunc ego, partim aliis, universam doctrinam de compositis verbi formis impugnaverat. Sed ne ea quidem via omnibus difficultatibus occurritur.

Nam, quod ad ipsam compositionem attinet, fateor non insolentem esse in fine compositorum radicem nu-

1. Vide supra p. 20, not. 1.

dam pro nomine agentis usurpatam, ex. causa, ipsam radicem *bhū* « fieri » in vedico composito *mayo-bhū* « qui exhilarat », proprie « qui fit exhilaratio ». Imo vel pars compositi prior nomen radicis non dissimile esse potest ut *viç* in sanscritico *viç-pati* « populorum dominus ». Duas denique radices, nominum agentis vicem explentes, jungi potuisse, non solum negare inconsiderati sit, sed etiam e vocabulis quale est *go-pā* « bovum custos » suspicari licet, cujus pars prior *go* « bos » nihil nisi radicem nudam, aut similem certe radicis nudæ materiam[1] continere videtur. Radicis tamen in priore parte compositorum nominis actionis vicem explentis nullum est exemplum quod noverim, ita ut usus radicum, infinitivi modo cum radicibus *dhā*, *ya* (vide *supra*) junctarum, nulla, ni fallor, similitudine confirmetur. Quod etiam gravius est, radix *as*, qua nullam in compositione verbali sæpius usurpatam contendunt, in fine nominalium compositorum, neque nuda, neque suffixa particula instructa, frequentata est. Quid autem quod e composito themate verbum effici non solet, nisi addito elemento quodam, ut in οἰκοδομέω ex οἰκοδόμος addito antiquo *ya* : οἰκοδόμε-(j)ω. Illis vero quæ Pauli finxit (*loc. cit.*) compositis nullum elementum additur quo verbum fiat, quum in aliis nullum omnino sit (*pataya-bhu-ma*), in aliis suffixa a docto viro ad posteriorem compositi partem referatur (*pataya-bhava-ma*).

Ceterum de posteriore illa quomodo verba componantur interpretatione quod jam contra priorem attuli repetere possim, auxiliarium multorum usum in longinqua nimis tempora ab adversariis transferri. Imo difficultas e posteriore oritur eo major quod ejus auctoribus fingendum est verba multa auxiliarium vicem ante etiam explevisse quam ipsa declinari cœpissent.

Radices quidem non ita paucas in fine aliarum jam a sermonis indoeuropæi quasi incunabulis additas esse alii sunt

1. De radicibus in universum vide Brealis commentationem (*Journal des Savants*, octobre 1876).

inventi qui conjecerint. Sic enim literas interpretari conati sunt, sæpe simpliciori radicis formæ adjectas, ut *j*, *dh*, exempli causa, radici primariæ *yu* « jungere », in secundariis *yuj* « jungere », *yudh* « pugnare (manus conserere) », quæ *determinativa* elementa vocat Curtius (*Chronologie*, p. 59). Ejusmodi potissimum compositioni comparari possit illa quam Pauli finxit in verbi temporibus, modis, cet.

Ego vero utrum determinativa e radice cum altera composita an e suffixa quadam orta sint dijudicare supersedeo. Ad ea autem, quacumque sint origine, illa de quibus agimus elementa audeo revocare, illis tantum exceptis quæ mihi suffixarum nominalium prorsus similia esse videntur. De significatione determinativorum ad exprimenda tempora cet. transferenda tacere licet : radices enim auxiliarium quæ vulgo e temporum cet. thematibus eruuntur, non ipsas per se in illis thematibus temporum cet. notionem significare jam vidimus. Determinativis quidem radicis sensus nonnunquam paululum mutatur (Curtius, *Chronologie*, p. 58), sed non semper; neque ex iis elementis quædam, in verbi temporibus cet. paulatim per *partitionem* definitis, multis vel etiam omnibus radicibus communia facta esse, aliquid in se habet absurdi. A formis perfecti græci in κα ordiar, e quibus nemo unquam, ut mea est memoria, auxiliare verbum eruere, peculiare[1] quoddam dico, contendit, quamvis vehementer optandum fuerit ut una earum et formarum pro compositis habitarum interpretatio afferri posset.

Literam κ non in perfecto primo tantum, sed in tribus aoristis reperiri notissimum est, nempe ἔθηκα e radice *dhā*, ἧκα e *yā*, ἔδωκα e *dā*, quorum elegantissimam explicationem commemoro : literam κ pro determinativo radicum habendam quæ eodem elemento auctæ in aliis linguis apparent, *dhā*, *yā* in verbis latinis *fac-io*, *jac-io*, *dā* in sanscritico *dāç-ā-mi* « dare, præsertim diis ». Nihil igitur magis

1. Auxiliare verbum *as* « esse » e perfecto in κα eruere voluerunt qui literam κ a litera *s* mutatam esse finxerunt.

obvium esse videtur quam illam literam κ cum eadem perfecti primi conferre, et conjicere, quam informationem in paucissimis aoristis adhibitam reperimus, eam universe ad exprimendum perfectum accommodatam esse. Jam forma τέτηκα quæ pro perfecto secundo habetur, utpote ad græcam præsentis formam τήκ-ω relata, pro perfecto primo haberi possit si radicis simpliciorem formam *tā* in latinis vocibus *ta-bes*, *ta-bum*, respicias. Quod autem plurimæ radices a quibus perfectum in κα desinens deducitur, in nullis aliis, sive ejusdem, sive aliarum linguarum formis, literam κ exhibent, hoc contra propositam interpretationem parum valet. Imo non legitimum fit aut per se stare incipit novum temporis, classis, cet. signum, nisi e formis ubi genuinum est et genuinam significationem difficilius relinquit, translatum erit ad alias in quibus novæ tantum partes ei explendæ sint. Sic nova præsentis informatio in ιζω pro ιδ-(j)ω non in ἐλπίζω pro ἐλπιδ-(j)ω discerni potest: in ἐλπιδ- (j)ω enim litera δ genuina est, et nominali themati ἐλπιδ- referenda. Quum autem præsentis λογίζομαι, ex. causa, e themate λογο-, similis explicatio fieri non possit, in hoc vere nova et legitima (quamvis ex analogia orta) informatio agnoscitur.

Quam autem affero perfecti græci in κα desinentis explicationem, eam jamdudum Curtius (*Grundzüge der griech. Etym.*, in quart. ed. p. 64) et Schleicher (*Compendium*, § 300) proposuerunt. In eadem sententia permanere se prior quidem etiam nunc profitetur (*Das Verbum der griechischen Sprache*, II. p. 205), eam autem ita definire ut literam κ cum insequente vocali ad suffixam particulam revocet. Qua definitione doctus vir quæstionem solvere videtur de origine, non determinativorum quidem in universum, sed determinativi certe κ. Literam enim κ determinativorum similem esse, si minus e græcis aoristi, perfecti, ceteris [1] formis perspicuum est, quippe quæ omnes eam vocali antecedentem exhibeant, ex affinibus aoristo ἔθηκα, cet., formis ut *fac-tu-s*;

1. Has vide apud Curtium (*Das Verbum*, p. 206).

cet., manifesto apparet, et apud ipsum Curtium legitur (*Grundzüge*, p. 66).

Ut perfecti literam κ, ita passivi futuri, aoristi, formarum ceterarum literam θ denominativis annumeravit Curtius (*ibid.*, p. 66) : quam tamen ad radicem *dhā* « facere », et tunc retulit, et etiamnunc (*Das Verbum*, p. 349 seq.) refert. Nomini enim ἄχθος eamdem θ inesse atque verbo ἄχθομαι cum ἄχνυμαι comparato, manifestum est, et literæ θ in ἄχθομαι et ἐλύθην non eumdem esse usum, similem autem fuisse originem, vel ipse contendo. Communem vero nominibus et verbis literam verbo auxiliari tribuere, ut doctoris Pauli sententiæ consentaneum est, qui compositionem verbalem e radicibus aut thematibus nudis effectam esse existimat, ita cum Curtii doctrina parum congruit, qui, ni fallor, auxiliare *dhā*, haud secus ac cetera (Cf. *Das Verbum*, p. 350), personalibus terminationibus jam instructum cum themate aut radice verbi prædicativi coaluisse finxit.

Multo igitur cautius et securius agere mihi videor quum totam de determinativorum origine quæstionem differam. Imo prudentiæ hujus exemplar nobis proposuit ipse Curtius, quamvis neque absolutum neque perfectum; quum illam determinativorum, excepto uno et altero, originem obscuram esse agnoverit. Non absolutum exemplar dico, quum similium omnino elementorum, nisi una et eadem omnium interpretatio afferri possit, fortasse satius sit nullam afferre. Donec litera *p*, exempli causa, sanscriticorum causativorum ut *dāpayati* e radice *dā* « dare », et alia non minus obscura, aut ad thema pronominale, aut ad verbum auxiliare quoddam, probabili quidem ratione, non relata erunt, de determinativo κ ad thema pronominale, et de determinativo θ ad verbum auxiliare referendo malo tacere.

Determinativa sæpe radici, non proxime, sed interposita vocali quadam, adhærent, neque illa tantum a Curtio relata ad suffixam particulam ut κ in ὀλεκ- (ὤλεκον) cum ὀλ (ὀλοῦμαι) comparato, aut ad auxiliare verbum ut θ in ἐλυθ- (ἤλυθον) comparato cum ἐρ- (ἔρχομαι), sed quæ ipse doctus vir inter-

pretari supersedet, ut litera *p* in latino nomine *volup-tas* e radice verbi *volo*, et in græco σκάλοψ (σκάλοπ-ς) e radice verbi σκάλλω cui eadem *p* proxime in latino verbo *scalpo* adhæret [1]. Non alia igitur quæstio est de formis qualis est ἔ-σχε-θ-ον ac de ceteris literam θ exhibentibus. Imo quæri possit annon *debilis*, quod vocant, præteriti germanicarum linguarum litera *d*, apte græcæ θ respondens, pro mero determinativo habenda sit. Ne quis enim credat doctrinam compositionis in germanico præterito nullam controversiam, aut per se movere, aut re movisse, commemorabo Begemannii scripta (*Das schwache Præteritum der germanischen Sprachen*, et *Zur Bedeutung des schw. Præt. der germ. Spr.*), quæ Delbruckius carpens (*Zeitschrift für deutsche Philologie*, VI, p. 230) quæstionis tamen difficultatem non negat. Mea quidem sententia compositio in formis tantum pluralis et dualis, ut gotica *nasi-dêdum*, cet., verisimilis est. Hanc autem pro recentissima, agnitæ jam in sanscritico *çucī-kri*, latino *calē-facere*, simili habeo, e qua nullum argumentum in universam doctrinam de compositis verbi formis possit conferri.

Ad futurum, aoristum, cetera tempora literam *s* exhibentia transimus, quæ quidem verbalis compositionis exempla minime dubia haberi solent.

Argumentum quam firmissimum dedisse Curtius sibi visus est quo verbum auxiliare *as* « esse » aoristo primo contineri confirmaret, quum formas aoristi sanscritici in *-sish-am* desinentis attulit (*Chronologie*, p. 86, in notula). Quid autem amplius ex illis quam e ceteris formis hauriri possit non satis perspicere me confiteor. Nam terminationem *-sish-am* forma reduplicata verbi *as* constare haud sane intellexerit vir doctus, quum nulla radicis *as* reduplicatio, nisi mera vocalis *a* productione effecta, reperiatur; radicem *as* in *-sish-am* cum forma flexa ejusdem radicis conflatam esse potius existimaverit. Sed id ipsum agitur an ulla radix cum formis

1. De his omnibus vide Curt. *Grundzüge*, p. 61 seq.

flexis radicis *as* conflata sit. In sanscritica autem lingua reperiuntur aoristi, alii in *-sam,-sas,-sat*, alii in *-isham, īs,-īt*, desinentes; unde facile intelligitur, quum priores haud secus atque imperfecta primæ classis in *-am,-as,-at* desinerent, e comparatione trium terminorum *-am,-isham,-sam*, proportionis quasi quartum terminum oriri potuisse *-sisham*. Nam *-sisham : -isham* : : *-sam : am*, aut, ut integras formas afferam, *áyā-s-isham : ásāv-isham* : : *ádik-sh-am : ábodh-am*. Hæc est analogiæ lex[1] qua, ut jam diximus, nulla in sermone paulatim mutando et amplificando sæpius observata est, et quæ potissimum in formis explicandis valet singularum linguarum propriis, ut est sanscriticæ linguæ forma in *-sisham*. Idem fere dici potest de formis, latinæ linguæ propriis, quæ literam *s* nullo intervallo duplicatam exhibent. Nam plusquamperfectum conjunctivi, origine quidem optativi, *legissem, legisses, legisset* ab antiquiore imperfecto, *lecsem, lecses, lecset*, in forma plautina *faxet* pro *facset*, in *vellem* pro *velsem*, *ferrem* pro *fersem, essem*, servato, quod ad posteriorem partem attinet, haud aliter differt atque usitatum imperfectum *legerem, legeres, legeret* pro *legisem*, cet. a futuro quod optativum quoque esse jam docuimus, (*legem* in cujus vicem forma conjunctivi *legam* substituta est), *leges, leget;* ita ut proportio fiat : *leg-is-ses : lec-ses* : : *leg-is-es : leg-es*. Ut aliis verbis loquar, thematum jam in *s* desinentium, sanscritici *ayās-* (cf. *adiksh-*,) latini *legis-*, idem est in formis *ayās-isham, legis-ses* usus atque in formis *asāv-isham, lec-ses*, radicis ipsius nudæ. De diversitate thematum *lēgis-* in *lēgisses* et *lĕgis-* in *lĕger-es* tacui : nunc profitendum est, mea quidem sententia, ipsius thematis *lēgis-* per analogiam ortum esse usum quum proportio fieret : *lēgis* : *lēg* : · *lĕgis : lĕg*, ita ut jam allati verbi *facio*, ex. causa, genuina sint aoristi themata *facis-*

1. Eadem lex non minus ad informandum precativum valuisse videtur qui literam *s* themati cuidam optativi, hand secus atque radici simplici additam exhibet (Delbruck. *Das altindische Verbum*, p. 196). Cf. præterea themata præsentis ut *grinī* quibus litera *s* additur, exempli causa in prima sing. ind. med. persona *grinīsh-e*.

in imperfecto conjunctivi *facerem* et *facs* in formis vetustioribus *faxet*, *faxit*, abusivum autem *fecis-* in *fecer-im*[1], *fecis-sem*, *feceram*, *fecero*, (nec non in *fecis-ti*, *fecis-tis*). Satis igitur erit thematum genuinorum, ut sanscriticorum (*a*)-*diksh-*, (*a*)-*sāvish-*, latinorum *lĕcs-*, *lĕgis-* originem explicare : quibus e græca lingua addenda sunt themata aoristi primi in σ ut (ἐ)-λυσ- in ἔλυσα, et futuri secundi primitus in εσ, ut τυπεσ- in τυπέω pro τυπέσ-ω, ante optativi signum (vide *supra*) desinentia. Futuri primi thema ante idem signum aoristi thematis simile est λύσ-ω[2], cui in sanscritica lingua respondent *bhots-ya-* et *bodhish-ya-*. Huc igitur tota quæstio redit ut literæ *s* cum radice, modo proxime, modo interposita *i* aut *a* vocali junctæ, natura dijudicetur.

De hac vero idem prorsus ac de litera θ dici potest, eam determinativis radicum annumerandam. Exempla literæ *s* ut determinativi usurpatæ satis erit duo afferre, sanscriticum nomen *ak-sh-an* cum latino *oc-ulus*, sanscriticum verbum *bhā-sh-* cum græco φη-μί comparatum (alia vide apud Curtium, *Grundzüge*, p. 67). In compositis autem, quæ finguntur, verbi formis, nusquam litera *s* determinativorum similior apparet quam in sanscritico desiderativo, sive proxime radici ut in *ci-kit-s*, sive interposita *i*, ut in *cu-cyut-ish* (Bopp. *Kritische Grammatik*, § 476) adhæret : non enim in verbo tantum, sed vel in adjectivo desiderativo reperitur (*di-driksh-u* e radice *darç*, *driç* « videre »). Utrum determinativum *s* ad radicem *as* « esse » referendum sit, non quæro. E flexis certe verbi auxiliaris formis elementum quod in nominibus simul et in verbis reperitur oriri potuisse nego.

E ceteris verborum pro compositis habitis formis, obscuriora manent latina, quum imperfecta in *-bam* et futura in

1. Et *dics* in perfecto *dixi* genuinum aoristi thema esse videtur e quo vicissim *dixis-* et *dixiss-* facta sunt.

2. Contractorum quæ dicuntur verborum aoristos et futura per analogiam orta esse, nec non tertias pluralis personas in -σαν aoristi instar abusu quodam informatas esse conjicio.

*-bo*, tum perfecta in *-vi*. Ex his qui perfectum auxiliaris *fui* eruere volunt, unicum ruinæ literæ *f* allatum exemplum, id est *potui*, jam amiserunt, quum Merguetius illustrissime demonstraverit (Vide Pauli, *Zeitschrift für vergl. Spr.*, XIX, p. 224) illud ex abusiva radice *pot-*, haud secus atque e radice *mon- monui*, informatum esse; ita ut ipsum *potui* litigiosis formis annumerandum sit. Hæ formæ cum thematibus lettoslavicarum linguarum in *v* desinentibus (Schl. *Compend.*, § 212) potissimum conferendæ videntur. Imperfectum in *-bam* et futurum in *-bo* eodem elemento informata esse conjicio quod in ipsa latina lingua, sub forma simpliciore rarius quidem ut in *ta-bum* (vide *supra* p. 35), variis autem modis amplificatum frequentissime usurpatur, ut in nominibus per *-ber*, *-bris*, *-brum*, *-bilis* desinentibus. Plurimum vero luminis huic quæstioni adhibitura videntur adjectiva in *-bundus* cum participiis in *-undus*, *-endus* collata. Quum autem latinæ literæ *b* umbrica *f* sæpe, et in ipsa suffixa *-fele* pro latina *-bili-s* respondeat (Breal. *Les Tables eugubines*, p. 331), umbricæ futuri anterioris formæ ut *ambrefurent* (*ibid.*, p. 360) mihi videntur, quod ad thema attinet, non cum perfecti, sed cum futuri latini formis comparandæ[1].

Restant quartæ præsentis classis, sanscritici passivi, denominativorum formæ, quarum elementum *ya* auctore Schleichero (*Compend.*, § 293) ad notissimam in nominum informatione suffixam revocare vix jam dubitabis. Ita de optativo, quamvis e tota disputatione seposito, præjudicatum esse videtur. De hoc tamen adversariorum doctrinam in posteriore capite directa via impugnabo, nunc deverticulo quodam ita lacessivi ut eam ceterarum pro compositis habitarum formarum quasi auxiliis intercluderem. Quod si paulo fusius digredi visus sum, ignoscat lector, quum quæstio de signo optativi in universa disputatione maximi sit momenti.

1. An formæ *pihafi*, *pihafei*, ad perfectum sint referendæ dubitat Breal (*loc. cit.* p. 361).

*B. Quod ad usum attineat, unusne primum utriuscunque modorum an plures sensus fuerint.*

Prima de formarum antiquissimo usu hæc quæstio est : utrum plures a principio, an unus et idem sensus singulis declaratus sit. Quam quidem quæstionem Delbruckius, dum de sensibus vocabulorum in universum proponit, non tantum syllabarum quæ declinationis aut conjugationis indicia sunt, præjudicio cursim enodat et alteram hanc in ejus locum substituit : quæ sit prima sensus vis ex qua diversi intellectus orti sint. Hujus autem solvendæ rectam, auctore Delbruckio, viam ingredieris, haud si notiones sive verbo, nomini, pronomini, sive inflexioni cuidam subjectas ordinaveris, ex his quæ in unam magis generaliter definitam cadant inquisiveris et sic vicissim usque ad universam quamdam ascenderis, sed si pro certo et comperto posueris, significationibus, profectu quodam cursuque rerum et temporis vocabulo attributis unam antecessisse, non quæ ceteras ab initio complexa sit, sed cui illæ paulatim societate et consortio quodam adjunctæ sint, eamque significationem vel etymologia, vel variis per varias ætates usibus introspectis, enucleare nisus eris (*Der Gebrauch des Conjunctivs und Optativs*, p. 11).

Priores quidem homines, altissimis et remotissimis notionum generibus intellectis, voces quibus hæc genera subjicerent invenisse, posteriores autem ex illis generibus præsentem sensuum varietatem hausisse, nemo est æqualium nostrorum qui asserat, nec de illo argumento mihi in animo est cum Delbruckio certare. Longe tamen abest ut ei concedam significationes omnes, præter unam ex qua ceteræ profectæ sint, pro communicatis habendas; præsertim si de terminationibus quoque, non tantum de nominibus rebus impositis, aut de radicibus nominum et verborum agitur.

Rerum quidem ipsarum nomina, sive corporum, sive

qualitatum, id est substantiva et adjectiva nomina, verbaque proprio sensu, postquam eorum significatio longo loquendi usu certioribus finibus semel terminata est et uni notionum classi adæquata, modis per varia tempora aut apud varios scriptores variis, ad alias classes per similitudinem transferri, et prius impositos fines transgredi solent. Longe autem alio modo in primordiis humani sermonis varios uni et eidem voci sensus attributos fuisse, considerate et philosophiæ lumine materiam introspicienti manifestum erit.

Nam, (quum de sermonis origine jam disserenti mihi prima quoque formarum elementa inducenda sint), ut de radicibus inveniendis loquar, concedo primos illos sonos, sive in radicibus, quas vocamus, indoeuropæarum linguarum servati reperiuntur [1], sive alii fuerunt, ita primum emissos fuisse ut uni tantum, et ei præsenti phænomeno exprimendo pares essent, dein ad alia ejusdem generis significanda translatos esse ; imo ex his tantum translationibus sermonis aliquam formam exstitisse. Ita enim rebus commoveri ut earum impulsu sonus cieatur, hoc ferarum et hominum commune, similitudines autem rerum uno et eodem sono usurpato exprimere et sic universas, quas vocant, notiones fingere, hominis proprium est et ipsum loquendi artis ususque initium et principium. At quid peculiare radicis sonus, quum primum expressus est, significaverit, inquirere dementis sit, nec, si fieri possit, ad sermonem pertineat. De universis tantum vocabulo subjectis notionibus tractamus grammatici. Quam varias autem et quam levi similitudine conjunctas notiones antiquissimi sermonis artifices uno et eodem nomine nuncupaverint, et e tenerorum puerorum consuetudine conjicere (cf. Taine, *De l'Intelligence*, I, p. 39 seq. — *Revue philosophique*, première année, p. 5 seq. [2]), et e mythologia quæ nonnulla ex istis generibus quasi conge-

1. De hac quæstione vide Brealem (*Journal des Savants*, octobre 1876).

2. Hæc sunt ipsa scriptoris verba « .,.. Voilà encore un exemple d'un sens trop vaste qu'il faudra rétrécir. — Il n'y a presque pas de mot employé par un enfant dont le sens ne doive subir cette opération. Comme les peuples primitifs,

lata servavit (ex. causa genus *go* (*vacca*) auroram, nubem, cet., amplectens), judicare possumus.

Classium quæ sic primo loquendi usu constitutæ sunt nulla cum nostris fieri potest comparatio, et quamdiu homines de naturali rerum conjunctione non satis experientia moniti sunt, tamdiu nomina, classium illarum signa, certioris usus finibus terminari non potuerunt. Imo etiam nunc definitio verborum in processu est et semper erit, quum omnis doctrina de definitionibus agat neque agendi finem factura sit. Sed ut de varietatibus exquisitiori tantum doctrinæ vindicandis taceam, existimare licet vel ipsas ad communem vitæ usum pertinentes classes non ita mature definitas fuisse, ut si plures, nostro quidem judicio, dissimiliores notiones uni voci subjectæ repertæ fuerint, pro certo habendum sit uni ex illis ceteras per translationem additas esse, non omnes aut aliquas certe ex illo tempore servari potuisse quo nullius arctioris definitionis sensus, et ideo nullius translationis homines conscii fuerunt.

Nostras et antiquas notionum classes non semper congruere, sed sæpe diversas in partes abire ex ipso Curtio discere possis, a quo Delbruckius doctrinam de antiquissimo sensu inquirendo mutuatus esse videtur : nam et ille in introductione luculenti libri *Grundzüge der griechischen Etymologie* inscripti, grammaticos reprehendit qui significationes omnes ad cardinales, quæ dicuntur, notiones referre nituntur. Dum autem contra demonstrare vult e cardinalibus notionibus præcipuam quamdam, « videre » exempli causa, radicibus nunc declarari quæ prius minus universas notiones « contemplari, speculari, aspicere, cavere » significaverunt, profitetur Curtius notiones has peculiares prius

ils sont enclins aux idées générales et vastes.... » — De sermone puerorum magister meus Egger commentationem a se jamdudum scriptam, sed nondum editam, mihi legendam permisit; ex qua hanc animadversionem, ab argumento meo non alienam, haurio : (de lusionibus pueri cujusdam agitur) « J'ai vu dans un de ces jeux des morceaux de bois tout semblables figurer pour l'enfant les personnages les plus variés. »

discretas fuisse quam ad singulos sensus pertinentes notiones « videre, audire, sentire » (quart. ed. p. 97). Quæ quum prioribus magis universæ videantur, utpote varios, seu videndi, seu audiendi, seu sentiendi modos amplectentes, ipsæ tamen priores, quum singulæ ad plures sensus relatæ sint, eo posterioribus magis universæ fuerunt; ita ut præsentes, sicut supra dixi, et veteres notionum classes inter se pugnent. Et re ipsa Curtius demonstrat e radicibus nunc ad cardinalem notionem « videre » pertinentibus unam, *skav* (in veteris altioris germanicæ linguæ verbo *scawon « schauen*, id est contemplari » et in græco composito θυο-σκόος) ad alteram « audire » in græca forma κοᾷ (Hesych. ἀκούει, πεύθεται) relatam esse. Quod si pro antiquissima significatione commune quoddam oculi contemplantis et auris longiore intentione audientis ponere velis, cave ne in famosas istas notiones cardinales rursus incidas, — si, Curtii vestigia sequens, contemplationem oculi paulatim ad aurem translatam fuisse conjicias, cave iterum ne priorem radicum usum arctioribus terminis coerceas, aut ipsam significationum terminandarum antiquam incertamque viam, cum hac recenti certæ significationis per metaphoram transferendæ misceas. Verum multo simplicius et cautius, in hoc exemplo et in multis aliis, varietatem sensuum pro antiquissima habebimus, alterumque ex altero derivare supersedebimus. Inita igitur a Delbruckio sensuum varietatis explicandæ via, etiamsi de rerum ipsarum nominibus agatur, non ad omnia exempla videatur accommodata.

Quum autem a rerum nominibus ad indicia informationis, derivationis, flexionis, transitur, multo etiam periculosius esse videtur eamdem viam ingredi. Nam si nomina rerum multa classibus male cum nostris congruentibus antiquitus responderunt, rerum inter se convenientiæ signa non tantum a principio ad alia discrimina referri potuerunt, sed, sine dubio, in primordiis loquendi nulla, postea autem diu vel etiam semper omnibus varietatibus exprimendis imparia fuerunt. Unde inferre licet, vel ipso in sermonis initio,

imo tunc præsertim, multas varietates uni et eidem signo subjici potuisse. Quod illustrius demonstrandum est.

In recentiore quidem loquendi usu vetustiori formæ sæpe circumlocutionem successisse liquet, cui, uno primum et definito sensu frequentatæ, novi per ipsam verborum conjunctionem sensus vicissim adhibiti sunt. Exempla sunt illa, de quibus dictum est, auxiliaria verba, ac potissimum verbum *avoir*, latine *habere*, quo ad informandum præteritum romanicæ linguæ utuntur. Ejusmodi periphrasis primus sine dubio usus fuit in sententiis qualis est gallica « j'ai acheté une maison » id est « j'ai une maison achetée », quod latine quoque dici potest : « habeo, teneo emptam domum. » Ubi autem abusu quodam irrepsit locutio hæc « j'ai vendu ma maison » id est « j'ai ma maison vendue », quod latine absurde sonaret « habeo venditam domum », tum propria informandi præteriti ratio inventa est. In hoc quidem exemplo posterior usus, per varios sensus immutandi gradus, ad priorem *unum* revocandus est. Quæ autem via ad recentiores circumlocutiones explicandas idonea videtur, ea remotissimum illum terminum, conjunctivi et optativi vim antiquissimam petentibus haud sine dubitatione tentanda est.

Linguæ vel perfectæ longiore cultu, imo ipsæ recentiores, ad locutionum partes subtiliter dispiciendas et exprimendas maxime aptæ, quam multa taceant quæ intellectu explenda sint, e luculento libello magistri mei Brealis, *Des idées latentes du langage*, illustrissime apparet. Quanto autem plura homines, in prima sermonis ætate, sonis mandare aut nequiverint, aut omiserint, facile odorari possumus. Imo indicia earum notionum quæ in indoeuropæis linguis flexionibus grammaticis exprimuntur, in quibusdam aliis, ut sinica, etiam nunc nulla sunt, apud omnes autem antiquitus nulla fuerunt. Modorum igitur signa, ut alia taceam, linguæ omnium indoeuropæarum genitrici quondam omnino defuisse nemo est qui infitietur.

At, hercle, majores nostri antequam optativi aut con-

junctivi signa usurparent, optaverunt, dubitaverunt, conditionaliter judicaverunt, alios ad agendum provocare voluerunt; nec verisimile est eos, quum sententias mere affirmativas exprimerent, ceteras tacuisse. Imo vero uno et eodem verbi sono, id est radice, aut simpliciter aut conditionaliter judicata, optata, expostulata ediderunt, et vocis tantum flexu, gestu, cet., peculiarem sentiendi modum declarandum curaverunt. Nec postquam verborum informatio prima ad exprimendum personarum discrimen accommodata est, (haud, ut credo, ab initio, sed postera quadam delectione, cf. *Mémoires de la Société de linguistique*, III, p. 132), uni et eidem cujusque personæ formæ varios affirmandi, optandi, imperandi, dubitandi modos subjicere destiterunt.

Progrediente tandem et variato verborum informandorum usu, non personarum tantum, sed, ut tempora omittam, modorum quoque discrimina diversis signis exprimi potuerunt, non ita tamen ut singulis sententiarum generibus singula indicia responderent. Nam vel in antiquissimis literarum monumentis multi sunt et prope infiniti, quum conjunctivi, tum optativi usus, et si ex illis quidam subtiliores omittendi sunt, ut ex antiqua jam cultura orti, vel a primo sermonis initio colores sententiarum plures profecto fuerunt quam ut tribus aut etiam quatuor formarum generibus singulatim proferri possent. Si igitur, quum conjunctivi, tum optativi[1], unus primum sensus proprius fuisset, a quo ceteri derivandi essent, oportuisset, donec prior usus latior et copiosior fieret, reliquos sententiarum colores iisdem formis atque meram affirmationem exprimi. Quod quidem nihil in se absurdi habet. Sed non longius rationem arcessere videamur, si conjiciamus optativum et conjunctivum ambo simul et nullo discrimine omnes non mere affirmativas sententias a principio expressisse. Nam quod diversarum for-

1. De imperativo taceo quem, ut in procemio dixi, partim ego nomini vindico, partim omnes ad conjunctivum referunt.

marum sensus prius iidem fuerint, posterius paulatim diversi facti sint, hoc cum notissima in sermone, *partitionis* quam vocant, lege congruit. Dum autem varios omnes optativi et conjunctivi sensus qui in literarum monumentis inveniuntur, aut præcipuos certe, una forma a prima origine exprimi potuisse contendo, hoc multum abest ab ista, jure damnata, ratione qua cardinales notiones majoribus nostris assignantur.

Non fingo enim varia verbi themata, informationis processu abundantia, et ad omnes sententiarum colores exprimendos æqualiter apta, ita primum usu differre cœpisse, ut conjunctivi et optativi thematibus remotissima illa sententiæ *haud mere affirmativæ* notio ratione quadam et via subjiceretur; sed potius simplicissimam *meræ affirmationis* notionem indicativi thematibus assignatam, ceteris formis, unius illius delectionis vi et effectu, cetera exprimenda relicta esse. Sic alternatam, a Delbruckio positam, conditionem effugimus, aut optativi conjunctivique sensus omnes ab uno derivandi, aut eos ad cardinalem quamdam notionem referendi. Jure igitur huic capitis parti sententiam præposui, *quæstionem agitari posse*, unusne utriuscunque modi, an plures sensus, a vetustissima memoria fuerint.

Pauca nunc in capitis fine addam de altero virorum doctorum, abhinc paucos annos syntaxim comparativa, quæ dicitur, ratione tractantium, quasi axiomate : « Sententias diu in sermone usurpari potuisse nullas nisi quæ e nulla alia penderent. » Hæc sunt ipsa Curtii verba (*Chronologie*, p. 81) e quibus concludit conjunctivi vim antiquissimam inquirentes a sententiis alteri cuidam subjectis non sine crassa temporum confusione incipere posse. Magistri autem opinionem nemo, ut opinor, firmiore fide amplexus est aut vi majore expressit quam Delbruckius, quum in libro supra dicto (*Der Gebrauch des Conjunctivs und Optativs*, p. 12) scripsit : « Pro fundamento omnium de sententiarum constructione studiorum hoc sicut quoddam *rocher de bronze* (sic gallice apud scriptorem) statuendum est, simplicem

sententiam antiquiorem esse composita. Fuit igitur temporis spatium quo linguæ indoeuropæarum genitrici simplices tantum, nulli alii subjectæ sententiæ notæ essent. » Cur hujus metaphoræ « rocher de bronze » germanus scriptor ad linguam nostram decus delegaverit haud satis compertum habeo. Ipsum vero effatum, si verbis serviendum est, ut Delbruckius et ipse Curtius nonnunquam serviisse videntur, non sine stupore quodam audire possum.

Nam si Delbruckius contendit hujus modi sententias « Ferit eum, ut eum occidat » antiquitus ita expressas esse « Ferit eum, vult eum occidere », respondeo ipsa sensus vi posteriorem sententiam, ubi priori apposita est, ei subjectam esse factam, non longo quodam sermonis processu. Sed has haud necessarias, quæ vocantur, subjectas sententias negligo, et ad eas transeo, quibus omissis, præcipua sententia per se stare non potest, ita ut hæc illi non minus quasi subjecta sit, quam huic illa. Exemplum maxime vulgatum præbent conditionales sententiæ qualis est « Si me feries, te occcidam », quibus edendis ne antiquissimi quidem homines impares esse potuerunt. Hic profecto e duabus sententiis neutra sui juris est aut esse unquam potuit.

Qui autem conjiciat conditionem prius una sententia ut « Te ferientem me occidam » quam duabus expressam esse, valde, meo quidem judicio, erret, aut potius rem ipsam leviter tantum præstringat, non penitus introspiciat. Nam vel singulas indoeuropæi sermonis formas, nec minus nominales quam verbales, in primordiis humani eloquii absolutas sententias fuisse existimo. In iis enim radicis sensus, id est prædicata pars, themate pronominali ad certum quemdam spatii locum, id est ad subjectivam partem refertur (Cf. *Mémoires de la Société de linguistique*, III, p. 125-149). Unde, ni fallor, factum est ut majores nostri nihil fere loqui possent, nisi subjectis invicem sententiis, quum hæc, exempli causa, simplicissima sententia « Equus currit », si equum a velocitate nominatum esse finxeris, antiquitus fuerit « Qui velox est currit » (*ibid.* p. 131 et 133). Quod au-

tem vel de substantivis, id multo etiam confidentius de adjectivis aut participiis asseri potest; imo non primitus tantum enuntiationem peculiarem iis effectam esse, sed etiam nunc, quod ad sensum certe, non ad formam attinet, effici (*ibid.*, p. 16). Hæc enim, quam finxi, « Te ferientem me occidam » non simplex est sententia, sed e duabus invicem subjectis constat. Nobis quidem, sermonem usurpantibus in quo nomen et verbum forma perspicue distincta apparent, postquam participium, id est nomen, in verbi vicem substituimus, una e duabus sententia fieri videtur. Illam autem rationem propositi sensus exprimendi aliquid habere docti et exquisiti quis non videt, parumque consentanei, non sermonis initio tantum quo verbi et nominis nullum erat discrimen, sed etiam ætati qua formæ usu distingui cœperunt. Multo facilius intelligitur, antequam conjunctionis « si » usus constitutus esset, ipsa modorum vi (futurum enim genuinum modum esse diximus), alteram sententiam ut alteri subjectam designatam esse « Feries me, occidam te »; imo, antequam elementa quædam ut modorum indicia usurpata essent, nullo quidem adhibito signo, ipsius autem sensus vi, sententias « Ferio, occido » alteram ex altera pependisse; denique, antequam prima formarum rudimenta essent inventa, ex ipsis radicibus duas sententias, si minus specie et exterioribus indiciis, re tamen iisdem vinculis atque in perfecta lingua religatas exstitisse « Ferire, occidere ». Adde quod ne exteriora quidem indicia ante defuerunt quam ipsa sermonis materia constiterint. At numeris, tono, corporis motu, ceteris, ut etiam nunc sæpe fit, quod sonis non satis aperte declarabatur explere facile erat.

Summa est hujus disputationis quæ, necessitate quadam rerum, in delibata supra rursus incidit, notiones multas in sermone *latere* posse; quod autem ad hujus libelli proprium argumentum pertinet, iis qui de sententiis alteri subjectis agant ipsam conjunctionem sententiarum a conjunctionis indiciis esse secernendam. Quod non satis constanter fit

apud Curtium neque apud Delbruckium. Hic enim præceptum nostrum iisdem fere verbis effatur (*Der Gebrauch des Conj.*, p. 31), parum autem fideliter sequitur, nec si ipse et Curtius, sermonem diu sententiis inter se subjectis caruisse asserendo, conjunctionis tantum indicia, non ipsam conjunctionem interpretarentur, ex his præmissis concludere potuissent conjunctivi et optativi usum recentiorem esse in subjectis quam in per se stantibus sententiis, et utriusque vim antiquissimam in his potissimum inquirendam. Cur enim non primus modorum usus in conjunctione designanda constare potuerit, nullo pacto in animum inducere queo, nisi existimandum sit conjunctivi et optativi formas prius inventas fuisse quam subjectæ sententiæ in sermone, non solum indiciis propriis distinguerentur, sed omnino existerent.

Jure igitur asserui adversarios meos quod præceptum supra controversiam ponere sustineo, verbis quidem, non autem re exsequi, quæstionemque de sententiis ipso sensu inter se conjunctis cum illa longe alia de conjunctionis indiciis miscere. Qua quidem confusione nihil, ut opinor, exitiosius esse potest, vel enascentem illam syntaxis comparativæ doctrinam in majus discrimen adducere.

# CAPUT III.

## QUOMODO PROPOSITAS QUÆSTIONES ALII GRAMMATICI SOLVERINT

### A. *De forma.*

In hac priore capitis parte quam, præposita de compositione verbali in universum disputatione, paucis verbis absolvam, de forma quidem potius dicendum erit, alteram autem de sensu quæstionem necessitate quadam rei delibabo. Dum enim aliorum scriptorum de forma sententiam expendam, non potero non inquirere quatenus ea cum eorumdem de sensu judicio congruat. In posteriore parte, omissa tota de forma quæstione, illud etiam de sensu judicium per se dubitationem movere demonstrabo.

Conjunctivum quidem nihil continere nisi nominale thema cum personalibus terminationibus junctum inter omnes constat. De natura tantum nominalis thematis disputari potest. Ante omnia animadvertendum est, Curtio judice, secundæ tantum præsentis classis conjunctivum genuinum esse, ceteros, peculiariter primæ conjugationis præcipuæ conjunctivos (*Chronologie*, p. 84, cf. *Das Verbum*, p. 55) secundum analogiæ legem informatos esse. De quo libens doctissimo viro assentior, nisi quod alterum, sextæ dico classis conjunctivum, genuinum esse existimo. Sed de hoc in capite IV. Secundæ igitur classis conjunctivum, particula *a* radici nudæ suffixa informatum, explicare satis habet Curtius. Hujus descriptionis thema haud secus ac præsentis indicativi themata in ceteris classibus pro nomine agentis accipit. Eadem est, exempli causa, indicativi

*váh-a-ti* « vehit » in prima classe, et conjunctivi *hán-a-ti* « feriat » in secunda (*Chronologie*, p. 82, *Das Verbum*, II, p. 55) informatio. Nulla vero causa est cur *hán-a-ti* quidem conjunctivus, *váh-a-ti* autem indicativus sit, nisi quod e radice *vah* nulla jam præsentis indicativi forma * *vah-ti* usurpatur; e discrimine vero formarum *hán-ti* et *hán-a-ti* quum sensus quoque discrimen ortum sit, pro indicativo servatus est *hán-ti*, *hán-a-ti* autem conjunctivus est factus. Ego quoque propositæ quæstioni solvendæ *partitionis* legem applicandam existimo, et infra applicare mihi ipse proposui, sed longe alio modo.

*Agentis* quidem nomina per suffixam particulam *a* informata in indoeuropæis linguis multa sunt, *actionis* autem nomina ejusdem particulæ ope informata reperiuntur non pauciora. Hoc inter duo thematum genera discrimen interest quod tonum habet in posterioribus radix, in prioribus vero suffixa particula. Quum igitur de accentu conjunctivi antiquissimo nullum nisi sanscriticæ linguæ testimonium adhiberi possit (vide supra p. 8, note 2), in hac autem forma secundæ classis, quas solas ipse Curtius genuinas habet, constanter radicis vocalem acutam exhibeant, jam magis in promptu est primam modi informationem ad nomina actionis quam ad nomina agentis revocare. De quo plura in capite IV.

Optativi formis auxiliaris verbi radicem inesse jam Boppius existimaverat (*Grammaire comparée*, tr. fr., § 670) : nempe radicem e sanscriticorum grammaticorum indicibus haustam *ī* « cupere », quam nunc ex hoc fonte non sine inconsiderantia quadam accipi potuisse inter doctos constat. Curtius igitur in ejus vicem supposuit (*Chronologie*, p. 92) radicem *ya* « ire », sanscritice *yā*, qua, brevem primum vocalem exhibente, informata esse pariter existimavit themata, quum passivi generis in sanscritica lingua, tum præsentis indicativi quartæ classis in indoeuropæis omnibus. Boppii sententiam Benfeius, quum emendaret, confirmare nisus est (*Abhand. der kön. Gesellsch. der Wiss. zu Göttingen*, 1871,

p. 135, seq.) E vedica enim lingua *ī* quoddam hausit, non radicem quidem, sed *intensivi* thema radicis *i* « ire » a cujus sensu « orare » facile ad hunc alterum « cupere » transitur, nec non varias optativi formas, haud, ut Boppius parum accurate finxerat, interposita ante terminationes radice *ī*, sed additis indicativi themati verbi prædicativi formis verbi auxiliaris *ī* flexis, ortas esse docuit. Thematis *ī*, quod vedica lingua in præsente tantum usurpatum exhibet, imperfecti indicativi formas, qualis esset prima pluralis persona *ī-mahi*, usitatæ *ī-mahe* respondens, optativis medii generis inesse contendit, in secunda quidem conjugatione præcipua manifestas (*dádh-ī-mahi*, τιθε-ί-μεθα), in prima autem cum vocali thematis ultima *a* conflatas (*bháre-mahi* φεροί-μεθα). Idem thema activi terminationibus secundariis instructum esse fingit, et cum themate in *a* desinente conflatum optativos activi in prima conjugatione præcipua effecisse (*bháre-ma*, φεροί-μεν). Imo, antequam terminationes activi acciperet, intensivus *ī*, radicum instar in sexta classe, suffixa particula *a* auctus fuerit, unde formis, sive imperfecti, sive præsentis thematis *īa* cum radice *as* conflatis, aoristus optativi, τύψεια pro τυπ-σε-ια, et futurum, sanscritice in *-syāmi*,*-syasi*, græce in -σω,-σεις desinens, orta sint. Ejusdem thematis *īa* conjunctivus a Benfeio reperitur, in formis nonnullis qualis est παραφθα-ίη-σι, primariis, in optativis legitimis secundæ conjugationis, secundariis (*dadh-yā'-m*, τιθε-ίη-ν) terminationibus instructus. Hæc explicatio, primo quidem adspectu, utpote omnibus ex partibus diligenter et exquisite elaborata, majorem quamdam auctoritatem præ se ferre videtur quam illa Curtii summatim inchoata; res autem penitus introspicienti multo etiam majorem dubitationem movebit. Nam verbum *ya* « ire » in ætate sermonis antiquissima qua nondum ullæ casuum terminationes aderant (vide supra, p. 29) auxiliaris vices explevisse, parum est verisimile, sed aliquo modo tamen intelligi potest. *Intensivum* autem radicis *i* « ire », de quo etiam dubium est an ante vedici sermonis ætatem exstiterit, aut qui rarissime certe in lingua geni-

trice usurpatus est, auxiliaris modo cum radice aut themate verbali compositum, optativum effecisse, nullo pacto intelligere queo. Imo Benfeius non potest non fingere in illo informandi optativi maxime longinquo tempore, eumdem intensivum *ī*, radicis instar et abusu quodam, suffixa *a* sextæ classis auctum esse. His de causis doctissimi scriptoris jam quinque abhinc annos (*Revue critique*, 1872, I, p. 194), opinionem impugnavi, cui Curtius fere eadem objicit in libro *Das Verbum der griechischen Sprache* inscripto, II, p. 78[1]. In eo tantum Benfeio nunc Curtius assentitur, quod optativi formas in quibus elementi *ya* vocalis longa est a formis eamdem vocalem brevem exhibentibus ita derivari potuisse existimat, ut ab indicativo *bhára-ti* conjunctivus *bhárā-ti* est derivatus (*loc cit.*, p. 79). Illud autem *ya* per contractionem in formis ut *dádh-ī-mahi*, *bháre-mahi*, potuisse fieri *ī*, contra Benfeii sententiam asserit (p. 81), et idem ad radicem *ya* « ire » referre perseverat.

De compositione verbali in universum supra (cap. II, A) nisus sum dubitationem lectori injicere, et quæ in illa disputatione attuli argumenta, non contra Benfeii tantum, sed etiam contra Curtii sententiam iterare possim. Imo, nusquam inutilior fuit fictio compositionis, quam in interpretatione elementi *ya*, suffixæ particulæ similis quæ sæpissime in informatione thematum usurpata est. Et reipsa Schleichero, ut dictum est (p. 20), inutilis visa est. Quem Benfeius quidem jure reprehendit (*loc. cit.*, p. 143) quod elementum *ya*, *ut thema relativi pronominis*, peculiariter accommodatum fuisse contenderit ad informandum optativum, Curtius autem, repugnantibus ipsius scriptoris verbis, excusare nititur, dum eum fingit in eodem elemento, non relativi pronominis sensum, manifesto recentiorem, intellexisse, sed antiquiorem quemdam quo in informando optativi themate, haud secus atque in themate præsentis indi-

1. Benfeium præterea Curtius reprehendit quod e formis optativi secundarius terminationibus instructis *præteritum* tempus auxiliaris verbi eruere velit.

cativi *a*, *na*, *nu*, usurpatum fuisset. Ita emendatæ magis quam explicatæ Schleicheri sententiæ negat tamen ipse emendator (*loc. cit.*, p. 77) assentiri se posse, donec non demonstrata fuerit significationis cum forma convenientia. Hanc autem congruentiam in capite IV demonstrare mihi destinatum est. Nunc introspiciendum est quatenus ipsorum adversariorum de usu judicium cum eorumdem de forma sententia congruat.

Ab optativo ordiar, ad cujus sensum arctioribus finibus terminandum peculiariter accommodata esse debuit fictio compositionis in eo interpretando usurpata. Quod autem verbum auxiliare, terminationibus personarum instructum, optativi formis inesse fingitur, si, ut Benfeius, cum Boppio de intellectu conveniens, existimat, « cupere » significavisset, ejus ope sensum declarari potuisse intelligeres, in prima quidem persona *dadh-yā́-m* « cupio ponere », in secunda autem et tertia, *dadh-yā́-s*, *dadh-yā́-t*, nullum nisi « cupis, cupit ponere », quum verus illarum formarum sensus, sensum dico ad cupidinem attinentem, sit « cupio ponas, ponat ». Hanc difficultatem, si minus antea, nunc certe intellexit Curtius. Qui postquam propriam sententiam de radice *ya* « ire » e formis optativi eruenda eodem recidere professus erat atque Boppii sententia, elementum *ya* ad falsam radicem *ī* « cupere » referentis (*Chronologie*, p. 92), novissime in prima quidem optativi persona e notione eundi ad notionem cupiendi transitum esse, secundam autem et tertiam personam a principio ad exprimendum *potentialem*, futuro affinem, usurpatas esse contendit, et cum ficta in optativo compositione comparandam attulit gallicam periphrasim « tu vas donner ». Primam serius personam cum secunda et tertia, secundam et tertiam cum prima sensum communicavisse existimat.

Illa quidem ratione aliquam formæ et sensus congruentiam fieri non infitior. De conjunctivo quoque Curtii sententia felicius, ut mihi videtur, in posteriore quam in priore opere exposita reperitur. Nunc enim satis habet e themate

nominis agentis, quod conjunctivi formis in secunda classe haud secus ac præsentis indicativi formis in prima inesse fingit, exempli causa e themate *bhára* in *bhára-ti* « gestator ille », sensum eruere in conjunctivo « destinatur ad gerendum, gerat », haud secus atque in indicativo « gerere cœpit[1] » (*Das Verbum*, II, p. 56). Antea autem (*Chronologie*, p. 81), inter conjunctivi vim antiquissimam quæ, ipso judice, ea fuit ut impelleret ad agendum, et continuatæ actionis notionem quam nomine agentis significatam esse existimat, tertiam quamdam fingebat, nempe « conatus » notionem. Hæc vero interpretatio, si illustrior facta fuisset, eamdem, ni fallor, controversiam movisset atque illa optativi a Benfeio proposita et nunc ab ipso Curtio impugnata. Quod e Delbruckii interpretatione manifestum fiet.

Hic enim doctus vir, quum in libro *Der Gebrauch des Conjunctivs und Optativs* inscripto, p. 13, sibi proposuerit, e variis, quum conjunctivi, tum optativi, sensibus, eum eruere, non tantum cujus aliqua esset cum forma congruentia, sed etiam ad quem ceteri omnes referri possent, primam vim fuisse docet, — conjunctivi ut personæ loquentis voluntatem, — optativi ut ejusdem cupidinem exprimeret. Ad voluntatis autem notionem in conjunctivo a notione continuatæ actionis per notionem conatus transitum esse existimat (*loc. cit.*, p. 14-15). At, quemadmodum e themate *hána-*, exempli causa, motum ferire conantis exprimente, oriri potuit in prima persona *hánā-mi* sensus « volo ferire », ita sensum in secunda et tertia persona *hána-si*, *hána-ti*, oriri oportuit, non « volo ferias, feriat », sed « vis, vult ferire ». Ut aliis verbis utar, e notione conatus ad voluntatis quidem notionem facile transiri concedam, dummodo tamen voluntatem personæ terminatione designatæ, non voluntatem personæ loquentis dixeris.

1. De continuatæ actionis notione in thematibus præsentis indicativi nomine agentis significata vide supra, p. 27.

De notione cupidinis, sive intensivo *ī* « orare, cupere », sive radice *ya* « ire » declaranda jam locuti sumus. In utriusque autem modi interpretatione Delbruckius Curtii sententiam, quum de forma, tum de intellectu, sequi se professus est, eam dico de intellectu quam in priore opere (*Chronologie*, p. 81 et 92) doctus vir minus accurate exposuerat; quod nostram censuram comprobare videtur. Illam ceterum, quam indicavimus, difficultatem ipse Delbruckius, ut opinor, intellexit, quum antiquissimum modorum sensum in prima tantum persona reperiri posse docuit (*Der Gebrauch*, p. 13, cf. 17). Num autem operæ pretium est id agere ut modorum vis ad ipsam formarum materiam referatur, et tam arctis vinculis cum ea conjungatur, quum proposita interpretatio uni tantum personæ accommodari possit, et ubi de secunda aut tertia agatur, ad abusum aut ad communicatos sensus sit confugiendum?

Curtii quidem de intellectu judicium, quale in posteriore opere (*Das Verbum*) expositum est, melius cum ejusdem de forma sententia congruere agnosco. Hanc autem de forma sententiam sequi me posse negavi. Ceterum, non Curtius, sed Delbruckius ab illo, quem finxit, modorum antiquissimo sensu reliquos omnes deducere conatus est. In posteriore igitur, quam jam aggressurus sum, capitis parte, quum totam de forma quæstionem, ut supra nuntiavi, omissurus sim, Delbruckii vestigiis instare me necesse erit, a notione voluntatis in conjunctivo, cupidinis in optativo, progredientis.

### *B. De usu.*

Nunc de ratione dicendum est qua Delbruckius (*Der Gebrauch des Conjunctivs und Optativs*) omnes conjunctivi et optativi sensus qui in monumentis vetustissimis, quum sanscriticæ, tum græcæ linguæ, reperiuntur, a duobus illis, quos finxerat, sensibus deducere, et in duo, non inter se mixtos, sed quasi parallelos ordines, alterum a voluntatis,

alterum a cupidinis notione profectos adducere conatus est[1].

### α. *De antiquissimis, qui finguntur, utriusque modi sensibus.*

Illud primum fuit antiquissimam notionem utramque utpote meram, neque ulla alia adulteratam, exemplis seu a Ṛig-Veda vel a Brāhmaṇis dictis libris, seu ab Homero collatis, si fieri posset, illustrare. Quod Delbruckio multo minus quam ipse speraverat successisse videtur. Nec mirum; voluntatem enim et cupidinem homines, præsertim prisci illi, nunquam fere expromunt nisi *proposita aliquâ re qua totius sententiæ variatur color et intellectus.* A voluntate declaranda, id est a conjunctivo, incipiamus.

Ipse Delbruckius agnovit, in secunda tertiaque conjunctivi persona, declarata voluntate personæ loquentis jussum fieri, aut simile aliquid quod impulsionem ad agendum nominare possis. Exempla sunt græca fere nulla, in affirmativis certe sententiis, vedica autem innumera, ut[2] I, 74, 6; *ā' váhāsi tā'*n *ihá devā'*n « Huc deos adduc »; — VIII, 78, 3; *vritrám hanati vritrahā'* « Vritræ occisor Vritram occidat ».

Illam autem, quam finxit, antiquissimam conjunctivi significationem in prima tantum persona quærit. Imo vel primis dualis et pluralis personis hortationem inesse confitetur qua alter vel plures impellantur ad agendum, et id, in græcis quidem exemplis, *semper*, H[3], 38, Ἕκτορος ὄρσωμεν

1. Delbruckii de sensibus conjunctivi et optativi in sanscritica et in græca lingua explicandis instituta ad linguam zendicam transferre contendit Julius Jolly in libro inscripto *Ein Kapitel vergleichender Syntax, Der Conjunctiv und Optativ und die Nebensätze im Zend und Altpersischen in vergleich mit dem Sanskrit und Griechischen* (München, 1872); cujus eamdem atque Delbruckii libri censuram agere longum fuisset, et, ni fallor, parum utile, quum in ea eadem fere fuissent iteranda.

2. A Ṛig-Veda sumpta sunt exempla quæ numeris tantum, nullo addito libri titulo designantur. Sanscritica omnia totidem verbis transtuli.

3. Grandibus literis Iliadis, minutis Odysseæ libri indicantur.

κρατερὸν μένος ἱπποδάμοιο, — in vedicis *aliquando*, *Çatapatha-Brāhmana*, 11, 5, 1, 6, *vácāmsi miçrā'*, *krinavāvahai nú* « Verba mutua faciamus ». Dicere autem potuit *sæpissime :* nam V, 51, 12, *svastáye vāyúm úpa bravāmahai*, « Vāyum salutis causa invocemus » et similia, pace Delbruckii dixerim, ejusdem sunt naturæ.

Aliter autem de hoc judicandum : VII, 81, 5, *yát te divo duhitar marta-bhójanam tád rāsva bhunájāmahai* « Qui tuus, cœli filia, mortalium victus est, hunc da *fruamur*. » Sed, ut mihi videtur, *fruamur* aut sententia est priori subjecta, qua finis exprimitur, id est *ut fruamur*, aut, si sui juris est, ab hac non differt : *Aitareya-Brāhmana*, 1, 7, *abruvann aditim tvayemam yajnam prajānāmeti*, « Dii ad Aditim locuti sunt : Per te sacra noscamus. » Num hic, ut vult Delbruckius, mera voluntas personæ loquentis declaratur? Minime vero : sed Aditim dii hortantur ut se doceat : « Fac ut per te noscamus. »

Nec Delbruckio facilius assentiar de prima singularis persona. Nam hujus modi innumeris I, 59, 6, *prá nū' mahitvám vrishabhásya vocam* « Magnitudinem tauri canam, » ipse « sui hortationem » inesse professus est (p. 20), neque in hoc exemplari quod maxima confidentia profert, *Çat. Br.* 11, 5, 4, 1, *brahmacāry àsāni* « Brahmacaris (id est quasi levita) sim ! » meram voluntatis pronuntiationem intelligere queo. Quod *asāni*, mea quidem sententia, non genuinus conjunctivus est, sed imperativi forma nominalis (vide infra cap. IV, A), hoc taceo : nam veri conjunctivi eumdem usum et supra jam notavimus in prima pluralis *tvayemam yajnam prajānāma*, et responsum Aditis ibidem in prima singularis exhibet : *sā tathety abravīt*, *sā vai vo varam vrinā iti*, « Dixit : ita; ego quidem a vobis donum eligam. » Sed et huic et superiori sententiæ, haud secus atque jam explicatæ « Per te noscamus », hortatio vel petitio inest. Nam petit discipulus a magistro ut se receptum pro Brahmacari habeat, Aditis a diis ut se donum ab ipsis eligere sinant. Græca exempla omitto ad quæ variæ interpretationes

accommodari possunt, et quæ ipse Delbruckius parum urget.

Nec propius destinata ferire videtur vir doctus quum e negativis sententiis meram quoque voluntatis pronuntiationem negatione variatam haurire nititur, ita ut timor vel cautio declaretur. Quam enim « hortationem ad non agendum » in secunda tantum et tertia persona agnovit, ea non minus primæ subest in hoc exemplo : II, 28. 9, *mā'hám rājann anyákritena bhojam*, « Ne, rex, aliena peccata luam », et similibus. Sensus manifesto est « Ne jubeas me aliena peccata luere », non, ut intelligit Delbruckius « nolo luere ». E græcis sententiis a conjunctione μή incipientibus pleræque alteri subjectæ sunt, neque in hoc caput cadunt; reliquæ vero nihil aliud significant nisi jussa ne aliquid fiat[1].

Jam ad cupidinem optativo exprimendam transimus, de qua primum quæri possit, utrum pro nobismet ipsi, an pro aliis cupiamus : nam si pro aliis, jam non mera cupido declaratur, sed cupido cui benevolentiæ testimonium adjunctum est. Illam autem distinctionem ut leviorem omitto. Multo enim majoris esse momenti videtur quærere utrum is in cujus manu est res optata adsit, an non. Si adest, e voto precatio fit, quod ipse Delbruckius de homericis istis profitetur : Λ, 790. Ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν ταῦτ' εἴποις Ἀχιλῆϊ, — ω., 491. Ἐξελθών τις ἴδοι. Hic pars subjectiva eum ipsum designat a quo quid petitur. Quid est autem discriminis, quod quidem ad rem pertinet, inter ejus modi sententias et eas quarum pars subjectiva significat, aut personam loquentem, aut quod petitur, quum persona a qua petitur in vocativo casu aut nominetur, aut subaudiatur? Exempla sunt vedica innumera : VI, 13, 6, *ágne.... víçvābhir gīrbhír abhí pūrtím açyām, mádema çatáhimāh suvī'rāh* « O Agnis, omnibus precibus abundantiam consequar, læti vivamus centum

1. Ceterum meminerit lector Curtium a Delbruckio eo ipso dissentire quod antiquissimam conjunctivi vim, non meram voluntatem declarandi, sed impellendi, hortandi cet., fuisse existimat.

annos maribus (liberis) præditi! » — III, 62, 3, *asmé tád indrāvarunā vásu shyāt* « Nostrum hoc, o Indra et Varuna, bonum sit! » — cet., quibus græcum addi potest : A, 41, Τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ· τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν. In his minus quam in superioribus precationem fieri nullo pacto intelligere possum.

Semper adhuc eum a quo petitur adesse finximus. At ille, si deus est, quod sæpissime fit, aut sine intermissione adesse, aut saltem orantes audire creditur. Nullum igitur, aut minimum discrimen est sententiarum quas jam protulimus et græcæ hujus : Ψ 650, Σοὶ δὲ θεοὶ τῶνδ' ἀντὶ χάριν μενοεικέα δοῖεν. Vedicæ autem maxime frequentatæ, qualis est V, 42, 2, *práti me stómam áditir jagribhyāt sūnúm ná mātā'*, « Meum carmen Aditis accipiat, sicut filium mater », nihil nisi meræ precationes sunt et ad supra allatas pertinent. Numen enim in tertia persona nominatur, non ut in græca sententia quia tertia quædam persona compellatur, sed artificio quodam vedicorum poetarum, qui invocationis formam personarum varietate distinguunt. Quod Delbruckium latuisse, quum p. 197 tertiæ personæ optativi in precatione usurpatæ nullum exemplum e sanscritica lingua afferendum habeat, valde mirandum est.

Imo, etiamsi nullius numinis nomen, aut usurpatur, aut subauditur, ut in homerico hoc Σ, 121, Νῦν δὲ κλέος ἐσθλὸν ἀροίμην, num pro comperto habendum est nihil invocationis, aut ad deos, aut ad secretam illam Fati potentiam, sententiæ subesse? An non contra in eodem loco ex antecedentibus sententiis (Ὣς καὶ ἐγών, εἰ δή μοι ὁμοίη μοῖρα τέτυκται, κείσομ', ἐπεί κε θάνω· νῦν δὲ...) concludi, in ceteris conjici saltem possit vota ad precationem esse revocanda?[1]. Ne autem ipse calumniari videar, aut temere controversiæ instare,

1. Precationem, seu directam, seu quasi obliquam, ipsa sensus vi imprecationem fieri posse vix addere necesse est. Exempla sunt, — vedicum, *Atharva-Veda*, V, 22, 2, *ádhā hí takmann arasó hí bhūyā'h* « Nunc, o febris, exhausta esto », græcum ρ, 476, Ἀντίνοον πρὸ γάμοιο τέλος θανάτοιο κιχείη. Denique negatione deprecatio fit, cujus exempla afferre supervacaneum est.

concedo in græca lingua sæpius optativi vim fuisse, ut nomen ipsum indicat, optati tantum exprimendi. At etiamsi de eo disputaretur, utrum in optativo precationis notio e mera cupidinis notione, ut ille vult, orta sit, an, vice versa, quod non contendo, e precationis notione ad cupidinis notionem sit transitum, posterior sententia, omissa quidem Delbruckii de modi informatione doctrina, multo verisimilior videretur, quum precationis usus, et natura frequentior sit, et in literarum monumentis antiquissimis sæpius reperiatur quam mera cupidinis declaratio. Hujus enim certum, mea quidem sententia, exemplum vix unum et alterum Delbruckius e vedicis scriptis attulit, quale est hoc, ne e *R*ig-Veda quidem, sed ex Aitareya-Brāhma*n*a haustum : 2, 33, *prajāpatir vā idam eka evāgra āsa so' kāmayata : prajāyeya bhūyānt syām iti*, « Prajāpatis in principio unus erat quidquid erat; cupiit : gignam, multiplicer. » Nihil quidem his optativis declaratur nisi mera cupido. Sed ejusmodi exemplum adversus Delbruckium revolvi possit. Quo enim longius arcessitum est utpote ad philosophorum doctrinam accommodatum de mundo e mera numinis cupidine orto, quod numen, quum unicum fuerit, cupidine tantum efficere potuit quæ ceteri precibus obtinent, et quum omnipotens sit reipsa effecit, — eo distinctius perspicere possumus quam difficile sit in sermone communi precationem a mera cupidine secernere. Quæstionem autem non ita proponendam ut supra finxi, nec cupidinis notionem a notione precationis derivandam censeo. Non mihi enim ut adversario placet modorum sensus omnes ad antiquum unum revocare. Eo tantum disputatio spectavit ut demonstrarem meræ cupidinis declarandæ occasionem rarissimam aut etiam fere nullam in prima sermonis ætate fuisse, nedum ab illo exquisitiore sensu ceteri omnes optativi derivandi essent. Vel in radicibus quibus sensum « cupere » subjicere solemus, verisimile est cupidinis et precationis aut similes quasdam notiones a principio mixtas fuisse.

Voluntatis notionem, aut potius impellendi vim soli con-

junctivo, cupidinis notionem aut potius precandi vim soli optativo subesse, ne plura simul agitarem, Delbruckio concedere visus sum. Superest ut per conjunctivum preces et per optativum jussa proferri posse ostendam, nec certos illos quos utrique imposuit fines, vel in antiquissimis quos finxit sensibus deprehendi.

Per conjunctivum precationem exprimi posse vix demonstratione eget. In negativis autem sententiis ipse Delbruckius profitetur conjunctivum ita usurpari ut optativi exempla reperiantur, quod ad sensum pertinet, ab eo vix (minime quidem, ut jam videbis), differentia (p. 113). Satis erit comparare illud supra allatum exemplum, II, 28, 9, *mā'hám rājann anyákritena bhojam,* « Ne, o rex, alienum peccatum luam », — ubi conjunctivus, — et hoc VI, 51, 7, *mā va éno anyákritam bhujema.* « Ne vobis (jubentibus) peccatum alienum luamus », — ubi optativus legitur. At in priore exemplo, Delbruckio judice (*ibid.*), eo *minuitur* voluntatis pronuntiandæ *vis*, primæ conjunctivi personæ propria, quod non e loquente persona, sed ex altera quadam pendet utrum placitum expleatur, an non. Haud minus apte dicas, postquam infra voluntatem, aut potius hortationem, optativo exprimi posse ostendero, in ejusmodi exemplis eo *invalescere* cupidinis pronuntiandæ, si verbo uti licet, *infirmitatem*, quod e loquente persona tantum, non ex altera pendet, utrum optatum expleatur, an non. Multo brevius, nec non, ut opinor, aptius, contendatur conjunctivum ad optativi, optativum ad conjunctivi sensum exprimendum cursu temporis translatum esse : quod non negari, nec magis demonstrari possit.

Ceterum voluntatis pronuntiatæ vis non tantum in negativis sententiis minui potuerit, sed in reliquis etiam. Precatio enim, non voluntatis declaratio est hæc I, 17, 1, *tā' no mrilāta īdríçe,* « Ambo *misereantur* nostri, talis viri qualis ego sum », vel hæc I, 90, 3, *té asmábhyam çárma yamsan,* « Illi nobis *præsidium* dent ! »

Ne in prima quidem persona propria, quæ fingitur, con-

junctivi vis incommutabilis servata est. Precationis enim prima conjunctivi persona editæ exempla, a Delbruckio omissa, in *Rig*-Veda reperiuntur non ita pauca, ut III, 11, 9, *ágne víçvāni vā'ryā vā'jeshu sanishāmahe—tvé devā'sa érire*, « O Agnis, omnibus bonis in præliis potiamur : ea in te dii posuerunt » (cf. multas ejus modi sententias quibus optativus inest *sanuyāma*); — VII, 98, 4, *yád yodháyā maható mányamānānt sā'kshāma tā'n bāhúbhih çā'çadānān — yád vā nrίbhir vríta indrābhiyúdhyās tám tváyājím sauçravasám jayema*, « Si in pugnam eos vocaveris qui se magnos habebant, *vincamus* illos brachiis ovantes, aut si cum viris adversus hostes, Indra, pugnaveris, hanc tecum victoriam præclaram *referamus*. » Hic conjunctivi et optativi in eodem versu unus et idem usus fuit. Jam accipe optativi *jayema* in altera sententia plane similem conjunctivum *jeshāma* in hac : VIII, 52, 11, *jéshāmendra tváyā yujā'*, « Vincamus, Indra, te comite. » Conjunctivo in versu hoc X, 59, 2, *sā'man nú rāyé nidhimán nv ánnam kárāmahe sú purudhá çrávāmsi*, « Carmine edito, divitiarum causa provisum victum faciamus (paremus), ubique gloriam », — aptissime respondet optativus in sequente ejusdem carminis versu : X, 59, 3, *abhī' shv àryáh paúmsyair bhavema dyaúr ná bhū'mim giráyo nā'jrān*, « Supra hostes viribus emineamus, ut cœlum supra terram, ut montes supra campos! » Et illud cui maxime confidit Delbruckius *bhunájāmahai* « fruamur » (VII, 81, 5), nisi potius, ut dixi (p. 59), priori sententiæ *tád rāsva* « id da » subjectum est, precatio magis quam voluntatis declaratio esse videtur.

De directa precatione hactenus. Quam quasi obliquam supra notavi, Delbruckius autem pro mera cupidinis declaratione habet, eam vel conjunctivo exprimi posse ipse adversarius nos monuit. Exemplum est : X, 85, 27, *enā' pátyā tanvàm sám srijasvā'dhā jívrī vidátham ā' vadāthah*, « Cum hoc marito corpore coi, dein senes concilio *præsitis* » (id est « diu vivite »). Hunc conjunctivi usum Delbruckius ita interpretatur ut quod quis fieri posse con-

fidentius credat, id velut secure exspectandum eum edere fingat. Argumentum affert imperativum eodem sensu usurpatum, *Ath. V.* III, 23, 5, *vindásva tvám putrám nāri yás túbhyam çám ásat*, « *Obtine* filium, femina, qui tibi saluti sit », additque propriis verbis (p. 19) : « Nemo dixerit imperativi in sanscritica lingua vim parum definitam esse, qua modo jubeatur, modo optetur. » Ego vero confidentissime! Quamvis imperativo non meram cupidinem (at ne optativo quidem), sed precationem exprimi intelligam. Quod vix demonstratione eget. Vatum enim deos invocantium quæ magis increbuit consuetudo quam imperativo precari? Non me fallit (nam hoc quoque contra dici possit) vedicos sacerdotes sæpe liberius cum diis agere, imo vi, si verbo uti licet, magica quam sacris et carminibus inesse credunt, diis quasi potiri, iis igitur imperare posse. Sed non id semper agunt, nec videmus eos ubi demisse, summaque verecundia ad deos se convertunt, rarius, seu imperativo, seu conjunctivo uti. Hac enim precatione quid humilius esse potest? VII, 89, 1, *mó shú varuna mrinmáyam grihám rājann ahám gamam* — *mrilā' sukshatra mriláya*, « Ne, Varuna, humo fictam domum (tumulum), o rex, ego adeam ; miserere, omnipotens, miserere ! » Attamen *gamam* conjunctivus, *mrilá'* et *mriláya* imperativi sunt.

Ut nunc ad id a quo paulo longius digressus sum redeam, negare nolim illi sententiæ « senes concilio præsint » carminis quasi magici vim aliquam inesse, eam igitur jussus instar exprimi potuisse. Sed hæc mihi via patet qua jam ad alterum, supra propositum, argumentum transeam : nempe quos conjunctivo antiquissimos sensus assignavit Delbruckius, eos vel optativo posse declarari.

Hæc enim, si qua fuerunt, magica sunt carmina : VI, 47, 26, *vánaspate vīdvàngo hí bhūyā'h*, « O lignum (currus), robustum esto! » — *Ath. V.* V, 22, 2, *ádhā hí takmann arasó hí bhūyā'h*, « Nunc, o febris, exhausta esto. » In iis tamen optativus usurpatus est.

Optativo præcepta significari posse, universa quidem neque

ad unum definitumque casum pertinentia, ipse Delbruckius nos monet (p. 198). Exemplum est : *Çat. Br.* 11, 5, 6, 2, *áhar-ahar dadyāt* « Quotidie det ». Ejusmodi autem præceptum a cupidinis potius quam a voluntatis notione derivandum esse vix ulli approbabit.

Sed ad caput rei festino et meram voluntatis declarationem, aut potius hortationem ad agendum, seu comitum, seu sui, etiam in prima persona optativo expressam esse, hoc exemplo demonstro : III, 47, 5, *marútvantam vrishabhám... índram... ávase... ihá tám huvema*, « Cum Marutibus taurum Indram salutis causa hic invocemus! » Similia reperies apud ipsum Delbruckium (p. 200), quo judice hi optativi quasi futura sunt (vide infra). Ego autem non intelligo quod discrimen inter ejusmodi optativos intersit et hunc conjunctivum quo voluntatis declaratio (p. 109), aut potius hortatio comitum et sui ad canendum exprimitur : V, 51, 12, *svastáye vāyúm úpa bravāmahai*, « Salutis causa Vāyum invocemus ! » Exempla vel manifestiora nunc accipe : VIII, 85, 6, *tám u shtavāma yá imā' jajā'na... índrena mitrám didhishema gīrbhíh*, « Eum laudemus qui illa genuit... Cum Indra Mitram veneremur cantibus ! » Hic optativo conjunctivus respondet in vicina sententia. In sequente exemplo optativo respondet imperativus : V, 43, 12 : *ā' vedhásam nī'laprishtham brihántam bríhaspátim sádane sādayadhvam — sādádyonim dáma ā' dīdivā'msam híranyavarnam arushám sapema*, « Pium, nigro tergo præditum, magnum Brihaspatim in sede locate; sedentem in altari, in domo lucentem, aureum, rubrum, colamus ! » Ultimo denique exemplo utar quo sacerdotes *optativo* se invicem *hortantur*, *conjunctivo* autem deum Agnim hortantur, id est *precantur* : VI, 15, 10, *tám... ávidvāmso vidúshtaram sapema... sá yakshad.., prá havyám agnír amríteshu vocat*, « Eum indocti doctiorem colamus; is sacrificet, dona Agnis diis nuntiet ! »

At enim illa sunt primæ personæ seu pluralis, seu dualis. Antiquissimum autem et minime adulteratum sensum Del-

bruckius existimat in prima tantum singularis persona quærendum esse. Primæ igitur singularis personæ exemplum afferam : X, 52, 5, *ā' vo yakshy amritatvám suvī'ram yátha vo devā várivah kárāni ā' bāhvór vájram índrasya dheyām áthemā' víçvāh prítanā jayāti*, « A vobis obtinui immortalitatem et liberos, ut vobis, Di, spatium aperirem ; in manus Indræ fulmen ponam, dein in his omnibus præliis vincat! » Ea sunt verba Agnis, qui ipse deus est, et quum de fulmine in manus Indræ ponendo loquitur, hæc est dei semet hortantis significatio, aut si Delbruckio magis placet, meræ voluntatis declaratio, optativo expressa, meræ autem cupidinis minime.

De græca lingua tacui, in qua illos de quibus nunc agitur modorum sensus eo differre inter doctos constat quod, — quum conjunctivo hortatio aut jussus in negativis tantum sententiis, ubi prohibitio fit, declarari possit, in affirmativis nihil nisi *sui hortatio* (in prima persona) exprimatur, optativo autem vel in affirmativis sententiis hortatio sæpe significetur, — huic hortationi per optativum significatæ aliquid verecundi aut urbani certe inest, unde precationi propior fit. Quod exemplis supra allatis ostenditur : Λ, 790, Ἀλλ᾽ ἔτι καὶ νῦν ταῦτ᾽ εἴποις Ἀχιλῆϊ, — ω, 491, Ἐξελθών τις ἴδοι. Mera quoque vota optativo exprimuntur, conjunctivo minime. Nec negari potest ejusmodi discrimina ad voluntatis et cupidinis notiones facile revocari. Sed hi sunt græcæ linguæ colores quibus vedicam non distinctam esse satis, ni fallor, demonstravi. Hæc igitur quæstio proponitur, utrum exquisitum illud sensuum discrimen a prima quidem modorum origine exstiterit, in vedica autem lingua obsoleverit, an confusos primitus sensus græca lingua, progressu quodam sermonis, inter conjunctivum et optativum partita sit. E quibus sententiis utra *a priori* sit verisimilior, viderint qui meminerint qua exquisita arte Græci formis primitus idem significantibus varios noverint sensus subjicere. Sed in hac quæstione versanti mihi ne duas quidem linguas respicere satis est. Lectorem igitur moneo conjunctivum et

optativum in vedica tantum et in græca lingua simul servatos reperiri : in ceteris, aut ambo, quod in latina lingua agnovimus (p. 14), ita mixtos esse ut uno nomine a grammaticis designarentur, aut e duobus unum, in hibernica quidem lingua conjunctivum, in germanicis, slavicis, letticis autem optativum, reliquum esse. Hoc autem non fieri potuit nisi mixtis sensibus variæ formæ inutiles visæ sunt. Qui igitur notatum in græca lingua discrimen linguæ genitrici vindicat, unum et idem testimonium ceteris omnibus et iis multis anteponit. Imo testimonium jure suspectum, quum nihil verisimilius haberi possit quam linguæ græcæ in excolendo patrimonio quod a genitrice acceperat curiositas et solertia. Sed gravissimum, ut mihi videtur, argumentum præbet lingua sanscritica recentior cum vedica comparata. Nam et illa conjunctivum missum fecit, exceptis personis primis quæ imperativi vice funguntur, optativum tantum servavit. Quum autem in vedica conjunctivus simul et optativus usurpentur, viam nobis introspicere licet qua optativus paulatim in conjunctivi locum substitutus sit. Jam in *R*ig-Veda optativus frequentior esse videtur quam conjunctivus : unde etiam suspicari liceat, ubi optativo sensus exprimuntur qui Delbruckii sententia conjunctivi primitus proprii fuerint, ibi optativum conjunctivi jus præcipere cœpisse. Sed eo minus verisimile sit, quum jam optativi usus gliscerct et in eo esset ut modum quasi æmulum aboleret, et ipsum conjunctivum in ejus fines irruptionem fecisse. Exempla igitur in quibus conjunctivi sensus eosdem esse vidimus atque antiquissimos a Delbruckio optativo assignatos, vix explicari possunt, nisi duorum modorum nullos a principio certos terminos fuisse concludimus. Quod ipse Curtius conjicere videtur (*Chronologie*, p. 93).

β. *De derivatis, qui finguntur, sensibus utriusque modi, in sententiis nulli alii subjectis.*

Illi de quibus jam diximus sensus multum abest ut soli, vel in sententiis nulli alii subjectis, reperiantur. Ad ceteros declarandos quum conjunctivi, tum optativi vim quasi minutam fuisse profitetur Delbruckius et quibus gradibus minuta sit describere nititur.

De conjunctivo prius agitur, cujus in voluntate declaranda minorem esse vim docet :

Primo, si quod volumus, hoc non nisi postero et eo longinquo tempore efficiendum est. Sit sane, sed illud discrimen parvi est momenti.

Secundo, si quod volumus, hoc non sponte, sed aliquo aut aliqua re cogente volumus, id est concedimus. Jam non illa est voluntatis declaratio, sed cognatæ cujusdam notionis, nec prioris signum ad alteram transferri potuisse negaverim. Exemplum est græcum : α, 396. Τῶν κέν τις τόδ' ἔχῃσιν, ἐπεὶ θάνε δῖος 'Οδυσσεύς, αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο [1].

Tertio, si quod volumus, hoc jam e novissima sententia, aut e temporibus, aut e natura rerum, necessitate quadam consequitur. Adde, precor, vel si minime volumus aut concedimus. Quod hæc exempla ostendent, inter simillima non pauca : VIII, 28, 4, *yáthā váçanti devā's táthéd asat tád eshām nákir ā' minat,* « Sicut volunt Dii, ita *sit* (ita esse oportet) : hoc (illorum imperium) nemo *minuat* (minuere potest); — X, 505, Νῦν δ' ἂν πολλὰ πάθῃσι, φίλου ἀπὸ πατρὸς ἁμαρτών (verba sunt Andromaches filiolum Astyanacta compellantis); — δ, 240, Πάντα μὲν οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω.

In his et talibus, declaratæ voluntatis vis ita minuta est

1. Sententias in quibus particulæ κέν aut ἄν modos comitantur a ceteris non distinguo. Delbruckio enim assentior docenti, non illis particulis modorum usus mutandi vim inesse, sed eas usus jam mutati indicia fieri (p. 84).

ut ne de voluntate quidem prorsus agatur. Jam quod fieri potest (cum negatione, non potest, *ā minat*, ὀνομήνω), aut fieri necesse est (*táthéd asat*, πάθησι), etiamsi persona loquens omni pacto id arcere optavisset (πάθησι). formis declarari agnovimus quibus inventis prima et diu una vis assignata est *quod volebat persona loquens* exprimendi! Intervalla vides humane commoda!

Haud quidem ignoro sermonis formis homines abuti solere. Quæ enim formæ, generis cujusdam species aliquot primitus significaverunt, eæ dein ad universum genus exprimendum transferuntur. Et quum jam de futuri sensu generali agatur, argumentum hauriri posse videatur e recentioribus illis linguis, anglica, græca, ceteris, quarum futurum tempus ex infinitivo et auxiliari verbo «volo» constat; quo auxiliari, ut primum ex his quæ futura erant, optata tantum, ita cursu temporis, et abusu paulatim in legem vertente, detestata quoque expressa sunt. Sed ut formæ, ad species certas tantum accommodatæ, ad ceteras, sicut jam dixi, ejusdem generis transferantur, necesse est, non solum loquentes hujus generis conscios esse, sed etiam usum prius *universum* fieri, dein abusum : nullo enim alio pacto intelligas cur propria formarum significatio obliterata fuerit. In græcis autem et vedicis, de quibus agimus, literarum monumentis, futuri quidem genus loquentium conscientiæ jam inhærere manifestum est, quippe qui futuro legitimo utantur, conjunctivi autem in exprimendo futuro, vel qui, interprete Delbruckio, fingendus sit abusus, vel etiam usus, quod majoris est momenti, minime universus est.

Quum autem illud argumentum definiti futuri generis attigerim, ut sententiam plane explicem, quæ mox de optativo dicenda erunt jam mihi sunt præoccupanda. Antiquissimæ, quas quidem noverimus, futuri formæ, aut meri optativi sunt, ut latinæ *leges*, *audies*, aut certe optativis arctissime sunt affines, ut sanscriticæ in *-syāmi*, græcæ in -σω pro -σ(j)ω exeuntes. Nihil igitur obstat quin conjiciamus his

ipsis formis futuri genus indoeuropæo sermoni primum inculcatum fuisse. Quod si ita accidit, haud satis intelligo cujusmodi abusu, e priore quodam et eo contractiore usu supra dictæ formæ ad genus nondum *definitum* exprimendum transferri potuerint[1]. Illud tamen velle videtur Delbruckius, dum primam vim optativi pronuntiandæ cupidinis tantum fuisse contendit, unde ad futuri significationem, in optativis certe proprie dictis, iisdem fere gradibus atque in conjunctivo pergere nititur. Quos jam gradus percurremus postquam id ultimum notavero : etiamsi tempora, in longinqua illa antiquitate, quod ad significationes communicandas attinet, eadem fuissent atque in recentiore ætate, nempe si jam sermo futuri generis quasi conscius fuisset, viam certe futuri per abusum exprimendi, auctore ipso Delbruckio, longe diversam fuisse. Non enim formas ad futurum exprimendum translatas primitus, exempli causa, « legere volo vis, vult », sed « volo aut cupio legere, legas, legat » significavisse fingit.

His præmissis quamvis de Delbruckii doctrina universa, quod ad minutum, quem vocat, optativum spectat, præjudicari possit, ejus tamen partes subtiliores disquiramus. Animi motus, nempe cupidinis, vim fieri minorem docet :

Primo, ubi cupido ad incertum quoddam tempus refertur. Exempla autem proponit quibus ne ullum quidem cupidinis genus, sed voluntas aut potius jussus exprimitur, ut præcepta e Brâhmanis hausta, *Çat. Br.* 11, 5, 6, 2, *áhar-ahar dadyāt* « Quotidie det », quæ jam ipse attuli quum de optativi et conjunctivi sensibus inter se mixtis dissererem.

Secundo, quum quod cupimus, non sponte, sed aliqua re cogente, alia fine proposita, cupimus, id est concedimus. *Voluntatis* quidem signum ad concessionem transferri posse facile admisi, idem autem de *cupidinis* signo fieri potuisse

1. Futuri notionis generalis in mente majorum nostrorum vix orientis, eam fuisse vim intelligo, ut e variis formis, nondum certum definitumque sensum exprimentibus, quasdam *partitionis* lege sibi vindicaret, non autem ut formas jam uno et determinato usu prolatas ad se quasi traheret.

haud ita facile intelligo. E sequentibus igitur exemplis nihil concludo nisi in eis usum optativi eumdem esse atque in supra allatis conjunctivi usum : VII, 104, 15, *adyā' murīya yádi yātudhā'no ásmi* « Hodie moriar, si malus genius sum »; E, 214. Αὐτίκ' ἔπειτ' ἀπ' ἐμεῖο κάρη τάμοι ἀλλότριος φώς, εἰ μὴ ἐγὼ τάδε τόξα φαεινῷ ἐν πυρὶ θείην.

Tertio, dum animadvertimus quod cupimus expleri posse, aut etiam in eo esse ut expleatur. Auctore autem Delbruckio, hic inter cupidinem et voluntatem terminus describi potest, nos, quum cupimus, nescire an id quod cupimus expleri possit (p. 16). Quamvis igitur per gradus coloresque prope infinitos e cupidine ad voluntatem transiri posse contendat, et ipse concedam, id tamen negare non potest, optativi conjunctivique sensus hic rursus mixtos apparere. Quod autem supra de cupidinis *infirmitate*, quum e loquente tantum personâ penderet utrum optatum expleretur, *invalescente*, ridicule conjeceram, in hoc mutatum apud Delbruckium invenio, quod eam *minutam* cupidinis *vim* interpretatur, ubi voluntati propior fit cupidinis declaratio, ut in hoc exemplo V, 4, 7 *vayám te agna ukthaír vidhema*, cujus, Delbruckio quidem judice, sensus est : « Utinam te, o Agnis, carminibus celebrare possimus ! » Agnovit tamen adversarius conjunctivum quoque hic usurpari potuisse, quo audito voluntatis declaratæ vis major visa esset (p. 28). Conjunctivus quidem in ejusmodi sententiis sæpissime est frequentatus, nullum autem in iis inter amborum modorum sensus discrimen ex ipsis verbis erui potest. Nam utriusque vis optime in sententiis introspicitur in quibus deus non directe compellatur, quales sunt jam supra allatæ *índram huvema* « Indram invocemus » et *vāyúm úpa bravāmahai* « Vāyum invocemus ». In his nihil nisi hortationem comitum et sui agnovimus. Idem, ni fallor, optativi usus est in ea de qua nunc agitur sententia *vayám te agna ukthaír vidhema*, ut in sequente conjunctivi, VIII, 51, 4, *kr̥ṇávāma ta índra bráhmāṇi várdhanā*, « Tibi faciamus, Indra, preces incrementa » (« Te augeamus preci-

bus nostris ») : duas enim personas, deum dico et semet ipsum aut comites in eadem sententia compellare, a vedicorum poetarum consuetudine minime abhorret.

De futuro per optativum expresso jam dixi quum de conjunctivo agerem. Exempla apud Delbruckium multa sunt, ubi lectori ea colligere licet. Illa tantum excipio in quibus optativus pro futuro sub conditione quadam expresso, id est pro conditionali modo usurpatur. Hunc optativi et eumdem conjunctivi usum (ne de indicativo cum ἄν aut κέν in græca lingua loquar) commodius infra (p. 86) considerabimus. Nam quamvis sententiæ in quibus reperitur pro *præcipuis* vulgo habeantur, non per se tamen stant, quum e conditione altera sententia expressa pendeant; de conditionali igitur affirmatione simul atque de conditione ipsa exprimenda tractabimus.

### γ. *De modorum sensibus in sententiis alteri cuidam subjectis.*

Sensus modorum in sententiis ex altera quadam pendentibus non nisi derivatos esse posse Delbruckius judicat. Totam enim ipsarum sententiarum significationem derivatam esse necessario asserere debuit qui eas prius suæ potestatis fuisse profitetur quam alteri subjectæ fierent. De illo libertatis jure sententiis omnibus in antiquissima sermonis ætate vindicato jam dixi. Ex qua disputatione hoc certe eluxisse confido, sententias ex altera pendentes a prima sermonis origine, non solum enuntiari potuisse, sed non potuisse non enuntiari. Sententiæ enim aliæ aliis ipsa sensus vi ante subjectæ sunt quam conjunctionis signum inventum esset. An vero modorum usus in sententiis per se stantibus primum ortus et definitus sit, deinde per translationem ad sententias alteri cuidam subjectas sit accommodatus, id quidem agitari potest. Sin autem conjunctivi et optativi sensus in sententiis subjectis derivatos esse *a priori* infitiari

nolo, nihil *a priori* obstare contendo quin et illi genuini sint.

Nulla igitur præceptione nobis introspiciendum erit quatenus Delbruckio successerit sensus illos a notionibus voluntatis aut cupidinis trahere; quamvis, postquam conjunctivi et optativi sensus in præcipuis sententiis non satis commode a conjunctivo *volendi* aut optativo *cupiendi* derivari posse visi sunt, vix operæ pretium sit de modorum significationibus in subjectis sententiis idem pluribus demonstrare. Plerasque enim præcipuæ cuidam subjectas sententias quibus conjunctivus aut optativus inest ita interpretatur Delbruckius ut modi sensum, non ab illo quem finxit antiquissimo deducere nitatur, sed a ceteris quos ipse quidem asserit, ego autem nego ad voluntatem aut cupidinem revocandos esse. At ne satis quidem fuerit opinioni Delbruckii de antiquissimis modorum sensibus eadem objicienda e subjectis atque e præcipuis sententiis haurire. Nova igitur objicere mihi propositum est. Conjunctivi enim et optativi sensus in subjectis sententiis, non magis, exempli causa, a futuro in præcipuis expresso, mea quidem sententia, orti sunt, quam hoc ipsum futurum a mera voluntatis aut cupidinis declaratione.

Materiam autem breviter præstringentibus Delbruckius longiorem partitionis viam iniisse videtur quam ut omnibus ejus vestigiis instemus. Nam quum conjunctionis sententiarum in literarum monumentis antiquissimis signa sint relativum pronomen et conjunctivæ particulæ, e duobus illis signorum generibus rationem priorem partitionis mutuatus est, et de sententiis quas « relativas » vocat prius dicit quam ad sententias conjunctivis particulis instructas transeat. Hanc instituti ordinis causam profert pronomen relativum prius frequentatum fuisse quam particulas conjunctivas, quarum pars longe major formis e declinatione pronominis relativi haustis aut ab ejus themate derivatis constiterit. Hæc autem divisio, ut ejus proposito consentanea fuit qui non solum modorum sensus, alium ab

alio deducere, sed etiam sententiarum ipsarum quasi genesim explicare conatus sit, ita nobis negligenda videtur. Conjunctivi enim et optativi usus in sententiis alteri cuidam subjectis fere iidem fuerunt, sive pronomen relativum, sive conjunctivæ particulæ conjunctionem effecerunt, et critici tantum partes agenti licet partitionem omittere qua servata una et eadem censura bis repetenda sit.

Altera est apud Delbruckium partitionis ratio, quum in relativis, tum in sententiis conjunctivis particulis instructis, adhibita : nempe *posteriorum*, quibus aliquid posterius, et *priorum*, quibus aliquid prius exprimitur quam quod præcipua sententia declaratur. Hæc quidem haud inepta et nobis in secutura disputatione brevitatis causa servanda, quamvis alia vel ad propositam quæstionem accommodatior animum subeat. Sententiæ enim subjectæ aut ita laxe cum præcipua conjunguntur ut præcipua vere per se stare possit, aut ita arcte ut ipsa præcipua forsan non minus e subjecta pendeat, quam hæc ex illa. Prioris quidem descriptionis subjectas ita interpretari ut per se ipsæ stare fingantur, nihil certe in se habet absurdi. Reliquis autem jus proprium vindicari non potest nisi ipsius præcipuæ sensus aut funditus mutetur, aut etiam nullus fiat. In his igitur multo magis etiam quam in illis modorum a Delbruckio proposita interpretatio claudicare videtur. Sed hæc mox liquidius. Ceterum quum *priores*, quas vocat, sententiæ fere omnes, iis omissis quæ similitudinem exprimunt, *necessariæ* sint, id est eæ quibus præcipua carere nequeat, *posteriores* autem modo necessariæ, modo *non necessariæ*, aptissime priores in alteram hujus disputationis partem differam, de posterioribus protinus ita dicam ut non necessariæ necessariis antecedant.

In posterioribus, seu necessariis, seu non necessariis, conjunctivus, Delbruckio judice, primitus aut voluntatem, aut, quam conjunctivi minutam vim esse profitetur, exspectationem significavit, haud secus atque in sententiis per se stantibus, quum et illas primitus per se stetisse fingat. E voluntate autem consilium, ex exspectatione consequentiam

fieri monemur, ubi ex antiqua præcipua, nova fit, et ea subjecta sententia.

Exempla sunt posteriorum haud necessariarum quibus consilium declaratur, sanscritica, — cum conjunctiva particula I, 114, 1, *imā' rudrā'ya... prá bharāmahe matī'h — yáthā çám ásad dvipáde cátushpade*, « Has Rudræ... offerimus preces ut faveat bipedibus, quadrupedibus » ; — cum pronomine relativo IX, 86, 18, *ā' nah soma ....... pipyúshīm ísham ... pávasva ..... yā' no dóhate .... suvī'ryam*, « Nobis, o Soma, inflatum beneficium funde quod nobis stillet vigorem » ; — græca, — cum conjunctiva particula Z, 365. Καὶ γὰρ ἐγὼν οἶκόνδ' ἐσελεύσομαι, ὄφρα ἴδωμαι οἰκῆας ἄλοχόν τε φίλην, — cum pronomine relativo σ, 84, Πέμψω σ' ἤπειρόνδε, βαλὼν ἐν νηῒ μελαίνῃ, εἰς Ἔχετον βασιλῆα ... ὅς κ' ἀπὸ ῥῖνα τάμῃσι.

In his et talibus exemplis ambæ quidem sententiæ, etiamsi utramque per se stare finxeris, intelligi poterunt. An autem consilii aut finis declaratio e mera voluntatis notione orta sit, valde dubito. Quod in sanscriticis exemplis precatio potius quam voluntatis declaratio quærenda fuisset, hoc omitto, ne in disputationem quæ jam quum de præcipuis sententiis dicerem absoluta est rursus incidam. At ex eadem disputatione manifestum, ut opinor, factum est, voluntatis declarationem variis coloribus vulgo distingui, aut potius voluntatis notionem precationi, hortationi, similibus natura inesse, meræ autem voluntatis notioni exprimendæ locum, præsertim apud priscos homines, vix ullum fuisse. De consilio igitur iterare licet quod de precatione, hortatione, jussu, cet., dictum est, multo aptius illum sensum pro antiquissimo haberi, quam a mera voluntatis declaratione deduci posse.

Ad posteriores, et eas haud necessarias sententias transimus, quibus actionis secuturæ notio inest. Exemplum est e græca lingua, cum conjunctiva particula « donec » significante : A, 82. Ἀλλά τε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ. Hic Delbruckius conjunctivum exspectationis reperire sibi videtur, quem proximum futuro esse jam vidimus, nec

non ægre sæpius, vel in sententiis per se stantibus, ad notionem voluntatis, ut vult Delbruckius, revocari. Nec facilius est in novissimo exemplo conjunctivi sensum ad voluntatem *personæ loquentis*, etiamsi minutam dixeris, referre. Sed eadem iterare supersedeo. Satis enim erit addere, quod de *consilio* dictum est, id vix minus ad *consequentiæ* notionem pertinere; nempe exprimendæ rei simpliciter exspectatæ, nec cum ulla alia conjunctæ, opportunitates fuisse pauciores; rei autem exspectatæ utpote alteri cuidam finem impositurae, multo plures. Parum igitur apte qui usus est, et a principio necessario fuit frequentior, a rariore et exquisitiore deducitur. Nam sententiam per se stantem cujus sensus fuerit « exspecto, exspectas, exspectat, illud futurum » non opinor frequentiorem fuisse quam alteri subjectam « (Hoc facio, facis, facit), dum illud fiat ».

Quod in sententiis conjunctivum includentibus de notionibus finis propositæ aut exspectatæ ad meram, aut voluntatem, aut exspectationem, revocandis diximus, idem in sententiis optativum includentibus, de iisdem notionibus a mera cupidine aut a mero futuro derivandis asseverari potest: nempe fini, seu propositæ, seu exspectatæ, in sententia subjecta exprimendæ multo sæpius locum fuisse quam in sententia per se stante meræ cupidini aut mero futuro.

Exempla sunt finis propositæ, — sanscritica, — cum conjunctiva particula, VII, 97, 2, *ā' daívyā vrinīmahé 'vāmsi bríhaspátir no maha ā' sakhāya*h—*yáthā bhávema mīlhúshe ánāgā yó no dātā' parāvāta*h *pitéva*, « Divina rogamus auxilia; Brihaspatis a nobis celebratur, o amici, ut innocentes videamur benefico qui nobis e longinquo largitur ut pater»; — cum pronomine relativo: IV, 36, 9, *ihá prajā'm ihá rayím rárāṇā ihá çrávo vīrávat takshatā na*h—*yéna vayá*m *citáyemā'ty anyā'n tá*m *vā'ja*m *citrá*m *ribhavo dadā na*h, « Hic progeniem, hic divitias largientes, hic gloriam cum viris (filiis) efficite nobis: qua nos splenderemus super alios, hanc vim illustrem, o Ribhues, dedistis nobis »; — græca, — cum conjunctiva particula : H, 339, Ἐν δ' αὐτοῖσι πύλας

ποιήσομεν εὖ ἀραρυίας, ὄφρα δι' αὐτάων ἱππηλασίη ὁδὸς εἴη, — cum pronomine relativo, *ibid.*, 341, Ἔκτοσθεν δὲ βαθεῖαν ὀρύξομεν ἐγγύθι τάφρον, ἥ χ' ἵππους καὶ λαὸν ἐρυκάκοι ἀμφὶς ἐοῦσα.

Finis exspectatæ exemplum est græcum : β, 77. Τόφρα γὰρ ἂν κατὰ ἄστυ ποτιπτυσσοίμεθα μύθῳ χρήματ' ἀπαιτίζοντες ἕως κ' ἀπὸ πάντα δοθείη.

Discrimen denique inter conjunctivi et optativi sensus in ejusmodi sententiis, omissa optativi in græca lingua cum temporibus historicis dictis peculiari convenientia, vix ullum, certum dico definitumque, reperiri potest. Nam quod Delbruckius eruere nititur, optativi cum præcipuo verbo laxius esse vinculum, hoc quamvis in universum asserat, et optativi antiquissimæ notioni consentaneum esse contendat (p. 64), minime tamen in *R*ig-Veda, vel in sententiis per conjunctivam particulam præcipuæ adhærentibus, ne apud Homerum quidem apertius demonstrandum curavit; quod difficile ei futurum fuisse judicabis, si modo supra allata conjunctivi et optativi exempla, singula cum singulis comparaveris. In sententiis tantum cum præcipua pronomine relativo junctis, quarum hac de causa exempla postposui, prædictum discrimen Delbruckius confirmare conatur, ita autem definit ut id in minuto, quem vocat, optativo evanescere fateatur. Exemplum est, eo judice, — minuti optativi, supra jam allatum H, 341, Ἔκτοσθεν δὲ βαθεῖαν ὀρύξομεν ἐγγύθι τάφρον, ἥ χ' ἵππους καὶ λαὸν ἐρυκάκοι ἀμφὶς ἐοῦσα, — haud minuti, δ, 698, Ἀλλὰ πολὺ μεῖζόν τε καὶ ἀργαλεώτερον ἄλλο μνηστῆρες φράζονται, ὃ μὴ τελέσειε Κρονίων. Nulla autem causa adesse videtur cur optativus in priore magis quam in posteriore exemplo minutus habeatur, nisi illud ipsum in posteriore laxius, in priore autem arctius vinculum, aut, ut aliis verbis utar, illa prioris cum conjunctivi exemplis ex omni parte perfecta similitudo? Multo igitur simplicius agnoscetur in ejusmodi sententiis, si modo paucissimas exceperis quæ tenore tantum sensus laxiores fiunt, eamdem omnino esse vim conjunctivi et optativi.

Illis certe et similibus *haud necessariis* sententiis, nempe

iis sine quibus præcipua sententia stare possit, minorem vim infert qui eas primitus per se stetisse contendit, et omisso omni cum præcipua vinculo interpretari nititur. Aut si particula conjunctiva « donec » in β, 77, Τόφρα γὰρ ἂν κατὰ ἄστυ ποτιπτυσσοίμεθα μύθῳ, χρήματ' ἀπαιτίζοντες, ἕως κ' ἀπὸ πάντα δοθείη, arctius quoddam vinculum efficitur quam ut integro sensu solvi possit, sententia certe qua finis aut consilium declaratur, qualis est græca Z, 365, Καὶ γὰρ ἐγὼν οἶκόνδ' ἐσελεύσομαι, ὄφρα ἴδωμαι οἰκῆας ἄλοχόν τε φίλην, haud inepte transferri possit : « Ego enim domum ibo; volo videre familiam dilectamque uxorem. » Quamvis addendum sit duas ejusmodi præcipuas sententias proximas fieri non potuisse, nisi posterior, non forma quidem, sed re alteri subjecta fieret, ita ut præcipuæ, quam vocaveris, posterioris jus proprium fictum magis quam verum et legitimum esse videatur.

Necessarias vero jam vide quibus argutiis Delbruckius ad præcipuas revocare conetur. His ante omnes annumerandæ sunt quæ præcipuæ negativæ ita subjiciuntur ut pronomen relativum in subjecta ad aliquid referatur *quod non est*. Exempla sunt, — sanscriticum, *Çat. Br.*, 11, 5, 1, 13, *té hocuh : ná vaí sā' manushyèshv agnér yajníyā tanū'r asti yáyeshtvā'smā'kam ékah syā'd íti*, « Dixerunt : non hoc apud homines ignis sacrum corpus est quo quis sacrificans nostrum unus fiat » ; — græcum : X, 348, Ὣς οὐκ ἔσθ' ὃς σῆς γε κύνας κεφαλῆς ἀπαλάλκοι. Optime, auctore Delbruckio, intelliges quomodo ex ambabus sententiis, quam subjectam hodie vocamus, ea primitus per se stare potuerit, si proposita exempla sic transtuleris : « Non apud homines ignis sacrum corpus adest : illo (*si modo adesset*) sacrificans aliquis nostrum unus (fortasse) fieret »; — « Nullus adest; ille (!) (*si modo adesset*) a tuo capite fortasse canes arcere posset ».

Idem vero Delbruckius nos monet (p. 222) rectam ejusmodi sententiarum interpretationem ei faciliorem futuram esse qui similia cum præcipua affirmativa exempla contulerit, quale est K, 170. Εἰσὶν μέν μοι παῖδες ἀμύμονες, εἰσὶ δὲ λαοὶ καὶ πολέες, τῶν κέν τις ἐποιχόμενος καλέσειεν. Quod mihi quidem

probandum videtur, cum priore autem interpretatione parum consentaneum. Nam qui negativos verborum circuitus cum affirmativis comparaverit, non dubitabit in illis negativam particulam ad universum potius utraque sententia expressum sensum referre, quam extrema illa audere : pronomen scilicet relativum ad aliquid *quod non est*, imo ut demonstrativum ad infinitum negativum « nullus adest, — ille », referre, et sententiam, qua totus posterioris pro præcipua habitæ sensus mutetur, *subaudire* « si modo adesset ». Mitto quod id loquendi genus ratiocinantis magis et partes subtiliter dispicientis fuisse videtur quam veterum, quos fingit Delbruckius, hominum. Quid autem simplicius quam ex hujus modi affirmativo verborum circuitu Ἔσθ' ὅς σῆς γε κύνας κεφαλῆς ἀπαλάλκοι, ad hunc negativum, addita particula οὐκ, transire : Οὐκ ἔσθ' ὅς σῆς γε, çet. At universus periodi sensus ita summatim negari non potuit, nisi ambæ sententiæ arctissimo jam vinculo inter se cohærerent, quod Delbruckius concedere noluit ne præsumptam opinionem de proprio jure omnibus subjectis vindicando deponere videretur.

Nunc de ipsis ejusdem generis affirmativis periodis dicendum est. Eæ quidem non desunt in quibus subjecta a præcipua disjungi, integro sensu, possit, ut jam allatum exemplum : K, 170. Εἰσὶν μέν μοι παῖδες ἀμύμονες, εἰσὶ δὲ λαοὶ καὶ πολέες, τῶν κέν τις ἐποιχόμενος καλέσειεν. Hic enim relativum pronomen facile in demonstrativum immutari potest. Imo quod Delbruckius de pronomine relativo (sanscritice *yá-s*, græce ὅ-ς, οὗ sonante), dum Windischii vestigia sequitur asserit, hoc de pronomine ὁ, τοῦ certe, sanscritico *sa*, *tasya*, respondente, negari non potest, id a prima origine demonstrativum fuisse. Optativi quoque καλέσειεν vis fere eadem est atque optativi in præcipuis concedentis aut quod fieri potest declarantis. Quem autem sensum retineret præcipua sententia si subjectam amoveres in hoc sanscritico exemplo : I, 113, 11, *ó té yanti yé aparī́shu páçyān*, « Et ii veniunt qui in posterum videant », aut in hoc græco H, 231, Ἡμεῖς δ' εἰμὲν

τοῖοι, οἵ ἂν σέθεν ἀντιάσαιμεν, « Nos autem ii sumus qui tibi obsistamus »? Ut ex ipsa translatione videre potes, ejusmodi sententiarum eadem omnino structura est atque latinarum a pronominibus *is* et *qui* incipientium. In his et similibus, optativo declaratur personam aut rem ad aliquid aptam aut accommodatam esse, qui sensus minus abstractus essé videtur quam meri futuri, et unus est inter multos a quibus ad futuri notionem transiri possit. Rursus igitur notio eruitur simplicior et sermoni veterum hominum magis consentanea quam omnes a quibus eam deducendam curaveris. Non aliter de optativo καλέσειεν in superiore exemplo judico. Quod autem ad pronomen relativum attinet, etiamsi primitus demonstrativum fuerit, de quo hic disputare supersedeo ne duas quæstiones misceam, ante etiam quam ut conjunctionis certum definitumque signum eligeretur, conjunctæ tamen sensus vi esse potuerunt sententiæ quibus nunc illud, nunc aliud demonstrativum, nunc etiam nullum pronomen inerat. Hæc lectorem monitum volui ne existimaret præsentem de antiquissima conjunctione sententiarum quæstionem e prætermissa de pronominis relativi origine quæstione pendere.

Optativus tantum in jam allatis exemplis repertus est. Conjunctivi autem idem est fere usus in utraque lingua, quod exempla demonstrant, — sanscriticum VII, 53, 3, *asmé dhattam yád ásad áskridhoyu*, « Nobis date quod sit copiosum », — græcum δ, 756, Ἀλλ' ἔτι πού τις ἐπέσσεται, ὅς κεν ἔχῃσιν δώματά θ' ὑψερεφέα. Post negativam quidem præcipuam asserit Delbruckius optativum frequentius quam conjunctivum usurpari, quod, ut id quoque præteriens attingam, cum ejus sententia parum consentaneum est, qui existimet optativi laxius esse cum præcipua vinculum; conjunctivum tamen usurpari non negat, imo exemplis confirmat, Ψ, 345, Οὐκ ἔσθ', ὅς κε σ' ἔλῃσι, cet., quorum similitudo cum superiore Ὡς οὐκ ἔσθ' ὃς σῆς γε κύνας κεφαλῆς ἀπαλάλκοι, omnibus numeris absoluta videtur. Quum autem conjunctivi usum in hac sententia. β, 42, Οὔτε τιν' ἀγγελίην στρατοῦ ἔκλυον

ἐρχομένοιο, ἥν χ' ὑμῖν σάφα εἴπω, ὅτε πρότερός γε πυθοίμην, cum optativi usu in interrogatione collatum, *ibid.*, 30, Ἠέ τιν' ἀγγελίην στρατοῦ ἔκλυεν ἐρχομένοιο ἥν χ' ἡμῖν σάφα εἴποι, ὅτε πρότερός γε πύθοιτο, ad *voluntatis* vim Telemacho declarandam revocet, eo potius discrimen mihi constare videtur (si minus e necessitate metri in responso ortum est), quod optativo in interrogatione aliquid urbani subest : sed hic est græcæ linguæ color ad fictam modorum in lingua genitrice dissimilitudinem non revocandus.

Ad eas nunc sententias transeamus quæ interrogationi obliquæ proximæ sunt, ut sanscritica, *Çat. Br.* 10, 4, 3, 7, *té hocuh— tébhyo vaí nas tvám evá tád brūhi yáthā te sárvāni rūpā'ny upadádhāméti*, « Dixerunt : His nobis tu hoc dic, quomodo formas tuas omnes colamus », et græca I, 111, Ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν φραζώμεσθ', ὥς κέν μιν ἀρεσσάμενοι πεπίθωμεν, aut cum pronomine relativo H, 171, Κλήρῳ νῦν πεπάλαχθε διαμπερές, ὅς κε λάχῃσιν. Postremum exemplum Delbruckius eadem fere ratione interpretatur atque allata supra cum præcipua negativa : « Sorte nunc agitate omnino (*cujusdam causa*) ; *ille* hoc fortasse sortietur. » Nonne multo magis obvium est demonstrativum tantum, relativo antecedens, pronomen subaudire, « Sorte nunc agitate illum qui sortiatur », quum conjunctivæ particulæ antecedens pronomen in sanscritico exemplo, non subauditum, sed expressum habeamus « *tád brūhi yáthā....* », et quum in fere similibus sententiis relativo demonstrativum antecedere viderimus, non sanscritice tantum « *ó té yanti yé aparī'shu páçyān* », sed etiam græce Ἡμεῖς δ' εἰμὲν τοῖοι, οἳ ἄν σέθεν ἀντιάσαιμεν? Hanc quidem sententiarum conformationem Delbruckius, Windischii doctrinæ de pronomine relativo congruenter, abusu quodam ortam esse existimat, quum exemplaria relativæ structuræ liquidissima exhibere videatur. Sed de hoc alias[1]. Nunc satis fuerit lectorem monere quanti constiterit in supra allatis

1. In commentatione « *Essai sur la construction grammaticale*, cet. » inscripta, cujus pars quædam jam publicata est (*Mémoires de la Société de linguistique*, III, p. 1, seq., 124, seq.).

exemplis subjectæ jus proprium vindicare. Quod ad sensum conjunctivi in iisdem attinet, eum Delbruckius ad voluntatis significationem referendum censet. Si ad futuri notionem aut ad exspectationem dixisset, hoc ei libentius concederem. Sed eo ipso quod hic, ratio exspectationis simul atque exspectatio declaratur, facilius existimo in hujus modi periodis quam in præcipua sola exspectationis sensum oriri et constitui potuisse. Ceterum optativus quoque in sententiis interrogationi obliquæ proximis reperitur : A, 343, Οὐδέ τι οἶδε νοῆσαι ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω, ὅππως οἱ παρὰ νηυσὶ σόοι μαχέοιντο Ἀχαιοί.

Restat ut de sententiis dicamus quæ cum verbo præcipuo ita conjunguntur ut ei accusativi modo servire videantur, qualis est græca[1] : A, 558, Τῇ σ' ὀΐω κατανεῦσαι ἐτήτυμον, ὡς Ἀχιλῆα τιμήσῃς, ὀλέσῃς δὲ πολέας ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν. Hanc Delbruckius sic interpretatur : « Existimo te illi vere promisisse : quia hoc fecisti (ὡς), Achillem honorare vis. » Sed eadem rursus dicenda habeo : prius, ne arcto vinculo conjunctæ sententiæ disjungantur, conjunctivi usum potius ad futuri notionem referendum ; posterius, hanc futuri notionem facilius in similibus quam in sententiis per se stantibus oriri potuisse.

*Priores* Delbruckium vocare jam diximus eas sententias quibus aliquid prius actione præcipua exprimitur ; quod quidem aut tempore vere prius est : Θ, 405. Οὐδέ κεν ἐς δεκάτους περιτελλομένους ἐνιαυτοὺς ἕλκε' ἀπαλθήσεσθον ἅ κεν μάρπτῃσι κεραυνός, aut intellectui prius habendum est : I, 116. Ἀντί νυ πολλῶν λαῶν ἐστὶν ἀνήρ, ὅντε Ζεὺς κῆρι φιλήσῃ.

Conjunctivi in ejusmodi sententiis vis fere eadem atque futuri aut futuri anterioris esse potest. Exempla sunt, — cum pronomine relativo, *Ath. V.* III, 23, 3, *bhávāsi putrā'nām mātā' jātā'nām janáyāç ca yā'n*, « Esto filiorum

1. Sanscriticam quoque Delbruckius affert : VIII, 50, 11. *manāmahe ydd in hv indram vrishanam sácā suté sákhāyam krindvāmahai*, « Hoc agimus ut Indram largitorem in sacrificio nobis amicum faciamus », quam potius sic transferendam esse existimo ; « Precamur (absolute), ut... cet. »

mater, natorum, et eorum quos *gignas* (gignes) », — cum conjunctiva particula; *Çat. Br.* I, 8, 1, 3, *kumbhyā'*m *mā'gre bibharāsi sá yadā' tā'm ativárdhā átha karshū'm khātvā' tá-syā*m *mā bibharāsi*, « Me in vas quoddam primum feras (fer): quando magis quam ut in eo maneam *crescam* (crevero), tunc fossam postquam foderis, me feras (ego tibi ferendus ero) in eam »; — græca, — cum pronomine relativo, θ, 548, Τῷ νῦν μηδὲ σὺ κεῦθε νοήμασι κερδαλέοισιν ὅ, ττι κέ σ' εἴρωμαι, — cum conjunctiva particula; ο, 446, Ἀλλ' ὅτε κεν δὴ νηῦς πλείη βιότοιο γένηται, ἀγγελίη μοι ἔπειτα θοῶς ἐς δώμαθ' ἱκέσθω.

In plerisque autem sententiis, conjunctivo vis inest *fingendi* in universum, nulla temporis adhibita ratione, ut in græcis supra allatis cum pronomine relativo, Θ, 405, Ι, 117, et in hac cum conjunctiva particula, Ο, 207, Ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ, nec non in sanscriticis, — cum pronomine relativo, VI, 60, 1.... *sanoti vā'jam índrā yó agnī, sáhurī saparyā't* « Potitur (potiatur) præda qui Indram et Agnim victores *colat* », — cum conjunctiva particula, I, 37, 3, *ihéva çrinva eshā*m *káçā hásteshu yád vádān*, « Quasi hic præsentes audio eos quum flagella in manibus *sonent* ». Vim autem fingendi primitus conjunctivi propriam fuisse Delbruckius negat, et illum de quo nunc agitur usum ab hortatione, jussu, similibus derivandum censet. Jubebant scilicet prisci homines hoc effici, quo effecto id necessario sequeretur quod præcipua significabatur sententia, et ex eo jussu conjectura aut conditio fiebat. Huic doctrinæ convenienter, sententiæ supra e græca lingua allatæ a Delbruckio ita totidem verbis transferuntur: « Ne ante decimum annum vulnera curentur : ea fulmen infligat »; — « Multis copiis par est vir unus : eum amet Jupiter. » Hoc autem argumentum quo doctrinam ipsam confirmet affert: vel a recentioribus similem sententiarum conformationem usurpari, exempli causa, a Germanis : « *Es soll einer kommen, und er will mich bereit finden* », — a Gallis : « *Qu'il vienne, et il me trouvera prêt,* » quod fere idem est atque « S'il vient, il me trouvera prêt ».

Haud absurda quidem hæc interpretatio videtur. Animadvertendum est tamen, quod ipse Delbruckius nos monet, ejusmodi sententiæ conformatione indicari vehementiorem quemdam animi motum cujus necesse est vis paulatim minuta sit ut ad meram conditionem declarandam transiret. Id profecto in recentioribus linguis fieri videmus, præsertim in didascalico et in oratorio genere. Sed fuisset hæc via, qua sermo antiquus notionem tam necessariam exprimeret, paulo longior, ut mihi videtur, et remotior. Imo eadem via, si Delbruckio crederemus, ad similitudines exprimendas sermo transiisset, ut in hoc loco: N, 178, Ὁ δ' αὖτ' ἔπεσεν, μελίη ὥς, ἥτ' ὄρεος κορυφῇ ἕκαθεν περιφαινομένοιο χαλκῷ ταμνομένη τέρενα χθονὶ φύλλα πελάσσῃ. Hic ea vis conjunctivi fuisset ut cogitationem auditoris incitaret (p. 44), quum persona loquens eum juberet imaginem sibi ante oculos proponere. Mitto quod non auditor imaginem sibi proponere juberetur, sed ipsa imago sese auditoris oculis offerre. Videris autem quam recondita et exquisita sit sententiæ tam simplicis interpretatio. Præterea priorem, qui fingitur, conjunctivi sensum in maxime longinqua antiquitate non minutum modo, sed omnino obliteratum fuisse oporteret, ut pronominis relativi aut conjunctivarum particularum usus in ejusmodi sententiis incipere et inveterascere posset. Ultimum est quo propositam interpretationem impugnem, ipsius Delbruckii judicium de sententiis ejusdem descriptionis in quibus, non conjunctivus, sed optativus usurpatur.

Non enim quam in iis optativi propriam esse vim profitetur, nempe ut fictionem Germanice *Annahme* vocatam, significet, eam a cupidine aut precatione derivare nititur, sicut similem conjunctivi usum ab hortatione aut jussu derivaverat; sed optativo hic ut in præcipuis non paucis (vide supra) *quod fieri potest* declarari existimat (p. 222). Conjunctivo autem haud secus atque optativo quod fieri potest declaratum esse jam vidimus. Imo in ipsis *prioribus* sententiis agnovit Delbruckius (p. 67) conjunctivos futuro proximos usurpari

posse, ut in hoc loco : Π, 83. Πείθεο δ', ὥς τοι ἐγὼ μύθου τέλος ἐν φρεσὶ θείω. Quid igitur obstitit quin simplicior optativi interpretatio ad conjunctivum transferretur, omissa remotiore et exquisitiore per conjunctivum *jubendi*? In similitudinibus, exempli causa, fictam imaginem conjunctivus nonne ita designare potuit ut res ipsa *posse* quidem *fieri* videretur, præsenti autem tempore non *esse*? Haud satis intelligo cur Delbruckius, quum ejusmodi interpretationem in promptu haberet, imo ea ad explicandum optativum uteretur, eamdem in simillima de conjunctivo disquisitione, aut neglexerit, aut repudiaverit.

Longe tamen abest ut ipse *priores* sententias, quibus, aut conjunctivus, aut optativus inest, ita interpreter ut modos illos in iis, haud secus atque in præcipuis, nihil aliud nisi quod fieri potest significavisse concedam. Raro enim, ut idem argumentationis genus rursus urgeam, locus pronuntiandæ sententiæ fuit, qua nihil nisi quod fieri posset, omissa omni cum aliis rebus conjunctione, exprimeretur. *Priorum* autem sententiarum, id est sententiarum quibus conditio declaratur (ad hanc enim normam pleræque, ut jam dictum est, referendæ sunt), frequens usus, et nunc est, et a prima sermonis origine necessario fuit; neque aliam habui causam cur id potissimum periodi genus in capite II, B eligerem, periodis linguam vix inchoatam carere non potuisse demonstraturus. A rarioribus autem sententiis illum quem inquirimus conjunctivi et optativi usum ad frequentiores translatum esse, non credibile est.

Imo vero, vel præcipua cum subjecta priore, si *similitudines* omittas, haud minus arcte quam hæc cum illa coalescere solet : conditione enim expressa, præcipua e conditione pendet. Ipsa igitur præcipua, in ejusmodi periodis, non quod est, sed quod fieri potest exprimitur; non autem quod fieri potest sine rei ullius respectu, sed quod fieri possit, si quid aliud factum sit. Hæc est notio quæ conditionali modo in recentioribus linguis significatur, in antiquioribus autem conjunctivo et optativo, in græca

lingua vulgo tantum optativo particulis κε aut ἂν instructo (aut iisdem instructo indicativo). Quem modorum usum in superiore capitis parte de præcipuis sententiis (p. 73) omisi et in hanc differre malui.

Exemplum est conjunctivi vedicum : VI, 60, 1, *çnáthad vritrám utá sanoti vā'jam índrā yó agnī' sáhurī saparyā't,* «*Feriat* hostem et potitur (indic.) præda, qui Indram et Agnim victores *colat.*»

Sequentia optativi exempla illustrabunt usum modi hujus in præcipuis conditionalibus simul et in subjectis conditionem exprimentibus, quarum nondum ulla allata est : VIII, 14, 1, *yád indrāhám yáthā tvám ī'çīya vásva éka ít — stotā' me góshakhā syāt,* « Si ego, o Indra, sicut tu, possiderem unus divitias, laudator meus vaccas haberet », π, 99, Αἲ γὰρ ἐγὼν οὕτω νέος εἴην τῷδ' ἐπὶ θυμῷ, ἢ παῖς ἐξ 'Οδυσῆος ἀμύμονος ἠὲ καὶ αὐτὸς· αὐτίκ' ἔπειτ' ἀπ' ἐμεῖο κάρη τάμοι ἀλλότριος φώς.

De præcipuis *conditionalibus* a *mera* futuri notione derivandis iterare supervacaneum est quod de eadem doctrina ad conditionis declarationem explicandam adhibita supra dixi. Hoc tamen tacere non possum : nempe in ejusmodi periodis, optativos aut conjunctivos exhibentibus tam apte, alterum alteri, respondentes, multo etiam exquisitiorem et nimia arte fictam interpretationem videri qua sententiarum conjunctio dirimatur, et utraque nullo alterius respectu explicanda proponatur; præsertim in quibus periodis conjunctivus usurpatus est, quum in iis duo conjunctivos, alterum altera ratione, Delbruckius intelligat.

Unum tamen de optativo addendum est ne Delbruckii argumentum omisisse videar, demonstrare nitentis quomodo a notione, non jam futuri, sed ipsius cupidinis, ad notionem fictionis et conditionis transeatur. Sententias exempla affert (p. 238), qualis est hæc, θ, 465, Οὕτω νῦν Ζεὺς θείη, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης, οἴκαδέ τ' ἐλθέμεναι, καὶ νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι· τῷ κέν τοι καὶ κεῖθι, θεῷ ὥς, εὐχετοῴμην, unde facile ad sequentem transitur : Π, 722, Αἴθ' ὅσον ἥσσων εἰμί, τόσον σέο φέρτερος εἴην· τῷ κε τάχα

στυγερῶς πολέμου ἀπερωήσειας. Imo, ut in priore exemplo optativo sine εἰ conditio exprimi potuit, ita in sequente optativo cum εἰ merum votum exprimitur : ζ, 244, Αἲ γὰρ ἐμοὶ τοιόσδε πόσις κεκλημένος εἴη. Proxima igitur omnino in lingua græca videntur esse votum et conditio. Sed in hac sententia, σ, 386, Αἶψα κέ τοι τὰ θύρετρα, καὶ εὐρέα περ μάλ' ἐόντα, φεύγοντι στείνοιτο διʼ ἐκ προθύροιο θύραζε, mendicus, ut ipse ait Delbruckius (p. 241), non in eo rerum statu est ut Ulyssis reditum optet, et in innumeris aliis vix minus voti notio cum sensu conditionis pugnat. Fieri non potuit quin aliquando conditio optata foret, imo quin e mera conditione expressa, ut in Αἲ γὰρ ἐμοὶ τοιόσδε πόσις κεκλημένος εἴη, votum efficeretur. Nam vel gallica sententia « Si un tel homme était appelé mon époux » (vide apud ipsum Delbruckium, p. 72), votum exprimi potest, quamvis ipsa forma nihil sit nisi conditionis declaratio. Ex allatis igitur exemplis, nihil, ut opinor, hauriri potest quo Delbruckii interpretatio confirmetur.

Restat ut amborum modorum sensus inter se conferantur. Vel in græca lingua res non ficta tantum, sed pro futura sine dubio habita, ut conjunctivo ο, 446, Ἀλλ' ὅτε κεν δὴ νηῦς πλείη βιότοιο γένηται, ἀγγελίη μοι ἔπειτα θοῶς ἐς δώμαθ' ἱκέσθω, ita optativo quoque declarari potest, Σ, 464, Αἲ γάρ μιν θανάτοιο δυσηχέος ὧδε δυναίμην νόσφιν ἀποκρύψαι, ὅτε μιν μόρος αἰνὸς ἱκάνοι. Vulcanus enim non dubitat quin Achilles aliquando periturus sit. Haud tamen infitiandum est posteriori sententiæ infirmiorem et quasi modestiorem quam priori inesse futuri affirmationem, et modi quasi urbanioris usu personam loquentem providere ne Thetidis matris dolorem vehementius moveat. Sed hic est exquisitus color quo nullum jure magis linguæ græcæ vindicari posse concedes, vel si minus tibi approbavero quæ de modorum usu in ceteris indoeuropæis linguis mixto supra (p. 68) disserui. Jam e sanscritica lingua hausta conjunctivi et optativi exempla inter se conferenda sunt. Futurum in hoc quidem conjunctivo, *Çat. Br.* 1, 8, 1,3, *kumbhyā'm mā'gre bibharāsi*

*sá yadā' tā'm ativárdhā — átha karshū'm khātvā' tásyām mā bibharāsi,* « Me primum feras (fer) in vas quoddam; quando magis quam ut in eo maneam crevero, tum fossam postquam foderis, me feras (ego tibi ferendus ero) in eam », — in sequente autem optativo declaratur : *Çat. Br.* 11, 6, 1, 2. *prā'n putraka vrájatāt tátra yát páçyes tád drishtvā' dakshinā' vrajatāt,* « Ad orientem, fili, procede; ibi quod *videas* (videbis) postquam videris, ad meridiem perge. » Non minus certum compertumque habet Varu*n*a in posteriore exemplo, filium Bhriguem aliquid in oriente spectaturum esse, imo quid spectaturus sit, quam piscis in priore se ultra vasis mensuram creturum; neque ei causa est cur, quod similiter compertum habet, modestius affirmet. Ne autem existimes optativum minus quam conjunctivum ad res sine dubio futuras exprimendas accommodatum esse, validius etiam argumentum est, quod legitimum, non latinæ tantum linguæ (in tertia et quarta conjugatione), sed sanscriticæ et ipsius græcæ futurum, aut merus optativus, aut certe aliquid optativo proxime affine antiquitus fuit.

Hoc in *similitudinibus* discrimen inter linguæ græcæ conjunctivum et optativum deprehendere sibi videtur Delbruckius quod conjunctivo, ut in exemplo allato supra, mera similitudo exprimitur, optativus autem in sententiis reperitur a conjunctivis particulis ὡς εἰ, id est *quasi*, incipientibus. Sed ipse profitetur eumdem modum usurpari, — sive fictio cum re aperte pugnat, ρ, 365, Βῆ δ' ἴμεν αἰτήσων ἐνδέξια φῶτα ἕκαστον, πάντοσε χεῖρ' ὀρέγων, ὡς εἰ πτωχὸς πάλαι εἴη, — sive mera fictio est, B, 780, Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν ὡςεί τε πυρὶ χθὼν πᾶσα νέμοιτο, — sive loquentis quidem sententia, cum re congruens esse potest: Λ, 466, Ἀμφί μ' Ὀδυσῆος ταλασίφρονος ἵκετο φωνή, τῷ ἰκέλη, ὡςεί ἑ βιῷατο μοῦνον ἐόντα. Sanscritica lingua modos in similitudinibus exprimendis rarius usurpat. Cujus quidem usus exempla a Delbruckio allata optativum tantum exhibent, et eum, — nunc optativo græco, *Çat. Br.* 12, 5, 1, 13, *yáthā'nyásyām yónau rétah siktám tád anyásyām prajījanayishet,* « Quasi quod in al-

terum uterum semen fusum est, id in altero fructum edere vellet », — nunc conjunctivo respondentem: *Çat. Br.* 11, 1, 6, 6, *sá yáthā nadyái pārám parāpáçyed evám svásyā'yushah pārám párācakhyau*, « Ille propriæ vitæ finem vidit, ut aliquis fluminis ulteriorem ripam videret ». Ceterum quod discrimen inter conjunctivi et optativi græci sensus in similitudinibus repertum est, hoc minime, ni fallor, ad illud referri potest quod in universum statuitur, nempe conjunctivum affirmandæ rei propiorem, optativum fingendis imaginibus aptiorem esse. — In ejusmodi enim sententiis nulla vis nisi fingendarum imaginum, vel conjunctivo assignari potest, et ipse Delbruckius profitetur eo auditoris vim imaginativam incitari (p. 67).

Quod si ad sententias transimus quibus conditio exprimitur, reperimus ne in sanscritica quidem lingua conjunctivo, sed optativo tantum *quod non fieri potest* declarari : VIII, 14, 1, *yád indrāhám yáthā tvám ī'çīya vásva éka ít — stotā' me góshakhā syāt*, « Si, o Indra, ego sicut tu divitias unus possiderem, laudator meus vaccas haberet. » Ita paucæ autem sunt in vedicis libris ejusmodi sententiæ ut conjunctivi in iisdem desiderium non urgendum censeam. Conjunctivo autem, si minus *quod fieri non potest*, at saltem quod in universum, nulla temporis adhibita ratione, fingitur haud secus atque optativo sæpissime significatur. Exempla usus hujus græca, præter jam supra allata Θ, 405, I, 117, expromam : *α*, 351, Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι, ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται, — N, 233, Ἀλλ' αὖθι κυνῶν μέλπηθρα γένοιτο ὅςτις ἐπ' ἤματι τῷδε ἑκὼν μεθίῃσι μάχεσθαι. Amborum vero modorum in conditione exprimenda quam similes sint usus tum apertissime judicari potest quum ambo vicissim usurpantur : ζ, 286, Καὶ δ' ἄλλῃ νεμεσῶ, ἥτις τοιαῦτά γε ῥέζοι, ἥτ' ἀέκητι φίλων πατρὸς καὶ μητρὸς ἐόντων ἀνδράσι μίσγηται, πρίν γ' ἀμφάδιον γάμον ἐλθεῖν. Hic quod discrimen statuere voluit Delbruckius inter fictiones germanice *Voraussetzung* et *Annahme* dictas, quarum altera conjunctivo, altera optativo declarata fuerit, omnino evanescit,

aut potius conjunctivo mera *Annahme* sicut optativo profertur. Item nullo discrimine lingua sanscritica in hoc exemplo optativum usurpat, *Sāma-Veda*, I, 1, 2, 4, 2 *yádi vīró anushyā'd agním indhītá mártyaḥ—ājúhvad dhavyám ānushák çárma bhakshīta dáivyam*, « Si vir *colat*, ignem *incendat* mortalis, sacrificans donum convenienter, tutelam sortiatur divinam », et in sequente conjunctivum, VI, 60, 1, *çnáthad vritrám utá sanoti vā'jam índrā yó agnī' sáhurī saparyā't*, « Feriat Vritram et potitur præda, qui Indram et Agnim victores colat. »

Iterum in sanscriticis exemplis præcipui verbi sensus est quem recentiores conditionali modo exprimunt : conditionalem autem affirmationem in priore optativo, in posteriore conjunctivo (cui indicativus in sententia quasi parallela additur) expressam vidimus. In utroque vero aliquid fingitur quod fieri potest, neque magis in una quam in altera, aut certum est id re futurum esse, aut dubium an futurum sit. Græci quidem conditionalem modum in præcipua, non conjunctivo, sed optativo (aut indicativo), addita particula ἄν, exprimere solent. Sed ne conjunctivi quidem cum ἄν pro conditionali modo usurpati exempla omnino desunt : Λ, 386, Εἰ μὲν δὴ ἀντίβιον σὺν τεύχεσι πειρηθείης, οὐκ ἄν τοι χραίσμῃσι βιὸς καὶ ταρφέες ἰοί. — B, 488, Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω· οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν, φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη· εἰ μὴ Ὀλυμπιάδες Μοῦσαι, Διὸς αἰγιόχοιο θυγατέρες, μνησαίατο, — A, 137, Εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι. Quamvis igitur non infitiandum sit, in græca lingua optativo majorem in universum dubitationem quam conjunctivo significari, discrimen illud ne in græca quidem lingua adeo certum definitumque fuisse videmus, nedum idem linguæ omnium indoeuropæarum genitrici necessario assignandum sit, et ad genuinam quamdam modorum distinctionem revocandum.

δ. — *De modorum significatione in sententiis interrogativis.* — *De optativi usu in oratione obliqua et in sententiis quæ ex historicis temporibus pendent.*

Sensus modorum hoc titulo designatos in hanc partem disputationis, quum ordinem a Delbruckio institutum sequerer, distuli.

Quod ad sententias interrogativas attinet, adversarii vestigiis in dividendo argumento instare mihi parum utile videtur. Unum igitur et alterum locum attingere satis habebo.

Usus, quum conjunctivi, tum optativi, in ejusmodi sententiis, plerumque idem fere est atque meri futuri, aut futuri sub conditione affirmati, id est conditionalis nostri. Exempla afferuntur, — conjunctivi quidem vedicum, I, 40, 7, *kó devayántam açnavaj jánam,* « Quis pium assequatur virum (ei similis fiat)? » — græcum, ε, 299, Ὤ μοι ἐγὼ δειλός, τί νύ μοι μήκιστα γένηται; — optativi autem vedicum *Ait. Br.* 2, 39, *yeshām u na veda kim u te syuh,* « Quos quidem non noverit, ubi illi sint? » — græcum P, 586, Ἕκτορ, τίς κέ σ᾽ ἔτ᾽ ἄλλος Ἀχαιῶν ταρβήσειεν; His certe seu conjunctivis, seu optativis, nulla voluntatis aut cupidinis notio subest. Ii scilicet esse videntur quorum Delbruckius vim minutam esse dicat. Sed non magis quum rem vere optatam significant, usum a cupidinis, voluntatis, hortationis pronuntiatione proficisci crediderim, sive conjunctivi in hoc, VIII, 7, 30, *kadā' gachātha maruta itthā' vípram hávamānam,* « Quando veniatis, Marutes, ad illius modi sacerdotem invocantem? » — sive optativi in his : *Ait. Br.* I, 27, *Katham ayam asmānt somo rājā gacched iti,* « Quomodo hic Soma rex ad nos veniat? » — Soph. *Phil.* 530 : Πῶς ἂν ὑμὶν ἐμφανὴς ἔργῳ γενοίμην; Non ea enim vota aut precationes interpretari possumus, nisi omissa interrogatione, quod durum est. Interrogatione autem conditio quædam, haud exprimitur, quæritur tamen,

ex qua actio optativo aut conjunctivo declarata pendet. Hæc igitur vere conditionalis est. De conditionali modo, conjunctivo et optativo expresso, quæ supra dixi non iterabo, unum tamen lectorem commonefaciam, simillimum amborum modorum usum in superioribus exemplis repertum esse.

Alter est, quum conjunctivi, tum optativi usus, ubi quæritur, non utrum quid futurum sit vel fieri possit, vel quo pacto fieret, sed quid faciendum sit, aut quomodo quid faciendum sit. Exempla, e græca quidem lingua, conjunctivi tantum afferuntur : ο. 509, Πῇ γὰρ ἐγώ, φίλε τέκνον, ἴω; τεῦ δώμαθ' ἵκωμαι ἀνδρῶν, οἳ κραναὴν Ἰθάκην κάτα κοιρανέουσιν; ἦ ἰθὺς σῆς μητρὸς ἴω καὶ σοῖο δόμοιο; — in vedica autem conjunctivi, V, 41, 11, *Kathā' mahé rudríyāya bravāma*, « Quomodo nobis magnum Marutum agmen invocandum est? » — *Çat. Br.* 1, 4, 1, 17, *Kvā'hám bhavāni*, « Ubi mihi standum est? » — et optativi, V, 41, 16, *Kathā' dāçema námasā sudā'nūn*, « Quomodo colamus veneratione beneficos (Marutes)? » (id est : « Quomodo nobis veneratione colendi sunt? ») Vides rursus conjunctivi optativique usus simillimos. Delbruckius autem, ut eos a notione, aut voluntatis, aut cupidinis, derivet, partes subtilius dispicit hujus exempli : K, 61, Πῶς γάρ μοι μύθῳ ἐπιτέλλεαι ἠδὲ κελεύεις; αὖθι μένω μετὰ τοῖσι, δεδεγμένος εἰσόκεν ἔλθῃς, ἦε θέω μετά σ' αὖτις, ἐπὴν εὖ τοῖς ἐπιτείλω; « Vertimus », ait Delbruckius « *Utrum mihi « standum est an eundum?* Primitus autem significant con- « junctivi μένω et θέω *volo stare, volo ire*. Quum autem Me- « nelaus ex alterius voluntate pendere sinat, utrum quod « proponit expleatur an non, eo contra.... » (at mihi hæc e germanico sermone vertenti, repugnante latina lingua, auxiliaris adsit, si potest, græca) « γίγνεται διὰ τοῦτο τὸ δεύτερον καὶ κρεῖττον ὂν βούλεσθαι, ἐκ τοῦ πρώτου βούλεσθαι, τὸ δεῖν. » Verba sunt germanice : « *So wird durch Rückwirkung dieses zweiten mæchtigeren Wollens aus dem ersten Wollen ein Sollen.* » Ego vero, omissa longius arcessita interpretatione, conjicere sustinuerim : *prius*, in ipsa de qua agitur

sententia conjunctivos μένω et θέω non per se stare, sed ex ἐπιτέλλεαι vel κελεύεις pendere; *posterius*, in ceteris, exempli causa in vedica, *Ait Br.* 2, 22, *sarpet — na sarpet*, « Eat, non eat? » id est, « Utrum ei eundum an non eundum est? » simile quoddam latere e quo optativus aut conjunctivus pendeat; aut etiam multo simplicius, quibus modis jam tam multos sensus exprimi vidimus haud facile ab uno antiquo derivandos, iis hunc quoque a prima origine exprimi potuisse, nempe *quod alicui agendum est*. Nam quæ interpretatio novissimi exempli proponi posset, eum scilicet a quo quæritur quasi induci loquentem « Hoccine jubes: *eat* an *ne eat?* » ea minus exemplis consentanea esset in quibus persona loquens quid sibi agendum sit interrogat, ut in hoc græco : ο, 511, Ἦ ἰθὺς σῆς μητρὸς ἴω καὶ σοῖο δόμοιο.

De optativi græci usu in oratione obliqua Delbruckius brevissime tractavit, aut potius nihil nisi exempla attulit, et in his optativum pro indicativo stare contendit. Hæc est, quam vocat, *Modusverschiebung*. Ego vero affirmationem ejusmodi, eo ipso quod ex auctore aliquo pendet, modestiorem fieri existimo, ad quem sensum exprimendum accommodatum fuit quidquid non indicativus erat. Quod autem hic usus optativo, utpote urbaniori apud græcos modo, potius quam conjunctivo assignatus sit, non mirandum.

Illud denique conjunctivi et optativi in græca lingua discrimen considerandum est, quod e præterito præcipuæ sententiæ tempore, optativum tantum in subjecta, non conjunctivum pendere fas est. Cujus discriminis causam affert Delbruckius, conjunctivum semper ad effectum tendere, optativum autem multo longius a re effecta abesse. Haud vero intelligo quo actio proposita a re effecta longius absit in sententia e præterito tempore pendente ζ, 50, Βῆ δ' ἴμεναι κατὰ δώμαθ' ἵν' ἀγγείλειε τοκεῦσιν, quam in sententia præsenti aut futuro tempori subjecta, β, 111, Σοὶ δ' ὧδε μνηστῆρες ὑποκρίνονται, ἵν' εἰδῇς αὐτὸς σῷ θυμῷ, εἰδῶσι δὲ πάντες Ἀχαιοί. Nam, quod ad rem effectam aut non effectam pertinet, hoc unum inter optativum et conjunctivum in ejusmodi

sententiis discrimen deprehendo, quod conjunctivo exprimitur finis actioni præsenti proposita, de qua semper dubitari potest an eventura sit, optativo autem finis actionis præteritæ, de qua jam sæpe compertum est utrum evenerit an non. Re ipsa, in allato supra exemplo, persona loquens, poetam dico, compertum habet, Nausicaam parentibus Ulyssis adventum nuntiavisse. Multo igitur verisimilius est optativum potius in græca lingua cum præteritis temporibus reperiri, quod secundariis, quas vocant, et iis præteritorum temporum propriis terminationibus, prima persona excepta, instructus est, conjunctivus autem, haud secus atque præsens et futurum indicativi tempus, primariis [1].

1. De Delbruckii libro censuram a Thurot scriptam confer (*Revue critique*, 1872, II, p. 27).

# CAPUT IV.

## PROPRIA DE CONJUNCTIVI ET OPTATIVI ORIGINE SENTENTIA PROFERTUR.

---

In superioribus libelli partibus, quamvis critici potissimum vicem expleverim, propriam tamen de propositis quæstionibus opinionem non potui quin aperirem vel etiam argumentis inciperem confirmare. Jam optativi, haud secus atque conjunctivi, formam, præter terminationem, e themate tantum nominali constare pro comperto habeo; pro verisimili autem, sensus modis a prima origine subjectos esse plures, imo fere omnes qui in vetustissimis literarum monumentis reperiuntur, et eos conjunctivo et optativo fuisse communes. Hanc de usu sententiam, ut in capite II, B nihil in se absurdi habere demonstravi, ita nunc cum pronuntiato de forma judicio optime congruere ostendam. Nam auxiliare quoddam verbum quem primitus certiorem sensum necessario significavisset cum forma composita communicavisse, id quidem intelligi potuisset. Suffixarum autem nominalium longe alia vis fuit, imo nulla in principio nisi indicandi; quæ dein paulatim, variis coloribus distincta, partitionis lege ad certiores usus accommodata est. Thematum igitur nominalium in verbo haud secus atque in ipso nomine sensus per partitionem tantum definitos fuisse, non e definito prius usu per communicationem significationum ortos esse, haud parum verisimile mihi videtur. Quam partitionem jam in capite II, B ita effectam esse finxi, ut e variis thematum generibus quædam ad meram affirmationem exprimendam electa sint, ceteris ceteri sensus declarandi relicti fuerint. Restat ut illam solvendæ quæstionis

rationem illustrare simul, et si fieri possit, confirmare enitar.

Hanc autem finem petentibus nulla, ni fallor, via aperitur, nisi ut quum eorumdem thematum partitione, in verbo quidem modorum discrimina, in nomine autem alia effecta sint, introspiciamus utrum quid affine diversi illi colores in verbo et in nomine habeant. Nihil in disquisitione tam obscura majus sperare possumus quam hanc ἀναλογίαν græce dictam statuere: indicativus et uterque modus eadem inter se ratione differunt atque N et M nominum classes. Jam ultimam de modorum origine quæstionem, etiamsi minus apte soluturus sim, apte tamen proposuisse me confido.

Classes autem nominum ad duo genera in universum referri possunt, concreta et abstracta nomina. Concreta sunt nomina agentis, patientis et omnia adjectiva aut participia dicta, e quibus paulatim appellativa substantiva effecta sunt. Abstracta vero sunt nomina actionis et qualitatis. Nihil igitur magis obvium est quam indagare an non e thematibus nominalibus in verbi declinatione usurpatis, themata indicativi alteri illorum generum, conjunctivi et optativi themata alteri respondeant. Conjunctivi thema in simplicissimis, id est secundæ classis formis, nominis actionis simile esse jam dixi (p. 52), et idem infra de optativi themate demonstrabo. Quum autem indicativi themata grammaticæ comparativæ scriptores plerique ad nomina agentis referant, proposita quæstio jam ita soluta esse videtur, ut indicativus et uterque modus eadem ratione inter se differant atque nomina agentis et nomina actionis. Ea quidem est quæstionis enodatio in qua denique acquiescere certum habeo. Res autem non ita simpliciter absolvi potest, ut prima specie forsan existimes. Nam qui indicativi themata omnia nominibus agentis assimilaverunt, iidem e conjunctivo quoque nomen agentis, omisso accentus respectu, eruere non dubitaverunt, quod Curtio ipse supra vitio dedi. Imo ne ii quidem themata secundæ classis,

id est radices nudas, pro nominibus agentis habuerunt. His vero difficultatibus non eo adduci possum ut unicam, mea sententia, quæstionis solvendæ viam deseram, nec despero fore ut eas in posteriore capitis parte, id est jam in ipsius libelli fine, discutiam. Formarum enim inter indicativum et utrumque modum partitio non necesse est in omnibus simul verborum classibus absoluta sit. Vel *a priori* verisimilius est, quod Curtius in interpretatione aliis de causis impugnata jam contenderat (p. 51), modorum discrimen ab una classe ad ceteras translatum esse. Satis igitur erit supra dictam ἀναλογίαν iis tantum formis confirmare quarum instar ceteræ paulatim distinctæ fuerint. Sed quo major licentia, eo magis periculosa est. Quare, antequam ultimam et maxime lubricam itineris partem ineam, adminiculum mihi parabo cui inniti possim, et quum themata nominalia, non in verbo tantum, sed in ipso nomine ad affirmationem, hortationem, consilium, cetera exprimenda, ut mox videbimus, accommodata sint, dispiciam e duobus nominum generibus utrum indicativo, utrum conjunctivo vel optativo propiorem usum habeat.

## A. *De nominis formis verbi vicem explentibus.*

In omnibus indoeuropæis linguis nominales formæ sunt usu inter nomen et verbum mediæ, quas brevitatis causa in universum nomina verbalia appellabo : participia dico et infinitivos, supina, gerundiva. De illis quidem hic agitur, sed non de illis tantum, quum aliæ multæ nominis formæ verbi locum obtinere queant, aut quo apertiore oratione utar, *prædicati*, seu præcipui, seu ex altero pendentis, partes agere. Nam quum omnes notiones in sermone exprimendæ ad duo genera revocari possint, — actiones vel qualitates, — personas vel res agentes, patientes vel qualitatibus præditas, — duo quoque radicum genera

in indoeuropæo sermone reperiuntur. Verbalibus quæ dicuntur radicibus actiones et qualitates *expressæ* quidem, pronominalibus autem personæ et res antiquitus videntur fuisse demonstratæ. Procedente autem sermonis informatione, radices verbales cum pronominalibus junctæ sunt, unde actionis et qualitatis designatio facta est *ut in persona aut re quadam spectatæ*, dein prout pronomen ad personarum discrimen aut ad alias notitias exprimendas paulatim accommodabatur, seu verba, seu nominum concretorum genera varia orta sunt. E concretis nominibus multa cursu temporis in appellativa mutata, id est ad unam personarum aut rerum classem designandam fuerunt accommodata; ita ut *akva*, exempli causa (sanscritice *açva*, græce ἵππος, latine *equus*), primitus « rapidus », nomen equi factum sit, quod equus rapidus sit, et deinceps e rapidis animalibus nullum jam aliud designaret, equi autem ceteras qualitates in memoriam reducere posset. Sic immutato sensu concreta nomina jam non prædicati, nisi raro, partes agunt. Quæ autem antiquissimum sensum, id est radicis, servaverunt, adjectiva dico, nomina agentis et patientis, et quæ utpote proxima verbo participia nominantur, ea omnia haud secus atque ipsum verbum actionem aut qualitatem ut subjecti cujusdam propriam significant, ergo vere prædicati vice funguntur. Quum enim dico « Bonus Paulus amatur », duo affirmo, Paulum bonum esse, et Paulum amari. Nihil autem inter duas affirmationes interest, nisi quod posteriori magis quam priori auditorem intentum volo : « bonus » autem haud secus atque « amatur » prædicatum jure nominari potest (cf. p. 48). Imo, ne præcipui quidem prædicati partibus concreto nomini interdictum est : copula enim, neque in principio exstitit, neque raro in antiquioribus linguis deest. Exempla sunt, sanscriticum e Rig-Veda, I, 8, 5, *mahā'n indrah* « Magnus Indra (est) », græcum apud Homerum A, 80, Κρείσσων γὰρ βασιλεύς, latinum apud Catonem (Egger. *Relliquiæ sermonis latini veteris*, p. 158) *Majorum benefacta perlecta*.

De abstractis nominibus adhuc tacui. Quæ haud secus ac verba et adjectiva, participia, cet., verbalis radicis sensum integrum servaverunt. Pronominalis autem radix, primitus demonstrativa, ut in verbo ad personarum discrimen, et in adjectivis, participiis, ad varios intellectus exprimendos accommodata est, ita in abstractis infinito pronomini propior facta esse videtur. Equidem ego haud aliter intelligo cur hæc nomina, quamvis pronomen, id est subjecti signum, contineant, actionem aut qualitatem ut per se stantem, non ut subjecti cujusdam propriam significent. Id genus sunt nomina actionis, qualitatis et quæ verbo proxime accedunt, infinitivi, supina et gerundiva. Horum quoque fere idem atque verbi formarum usus esse potest. Quod enim in *R*ig-Veda VII, 81, 5 conjunctivo expressum legimus *tád rāsva bhunájāmahai* « Hoc da ut fruamur » (cf. supra p. 59), id infinitivo aut dativo nominis actionis pariter exprimi potuit : *tád rāsva bhujé* « Hoc da *fruitioni* », gallice « pour en jouir ». Hujus enim descriptionis sententiæ in *R*ig-Veda innumeræ sunt, I, 127, 8 .... *tvā* .... *havāmahe* .... *bhujé* « Te invocamus *fruitioni* », cet.

Formas nominales pro verbo usurpatas jam inter duas classes, concreta et abstracta nomina, divisas habemus. Imo exempla priorum indicativi, posteriorum conjunctivi vicem explentium prolata sunt. Nunc autem utriusque classis usus altius indagandus est et fusius pertractandus.

Ante omnia animadvertendum est, inter illa de quibus hic agimus concreta nomina (adjectiva dico et participia omnia dummodo pro substantivis non usurpentur) et abstracta nomina (quæ omnia substantiva sunt), hoc gravissimum discrimen interesse, quod posteriora semper *per se* stant, et in cujuscunque casus forma per se usurpari possunt, priora autem semper e substantivo aut pronomine quodam rei aut personæ indicio pendent, et ad ejusdem casum accommodantur. Ex hoc discrimine quid efficiatur, nunc introspiciam, prius in concretis, posterius in abstractis nominibus.

Adjectivum aut participium in qualibet sententia non nisi ad subjectivam quamdam partem ut pars prædicata referri potest. Sive simplicem sententiam « Bonus Paulus », sive has proferimus e duabus constantes « Bonus Paulus amatur », «Bonum Paulum amant », adjectivi notionem semper, aut de proprio, aut de communi amborum *prædicatorum subjecto*, aut de præcipuæ sententiæ *objecto* prædicamus : ex objecto enim verbi « amant », « Paulum » dico, subjectum adjectivi « bonum » effici manifestum est. Ex ipso quidem sententiæ universæ tenore fieri potest ut sic expressa affirmatio non mera, sed conditionis, futuri, cet., affirmatio sit. Quum dico « Vir bonus amatur », non duo affirmo, virum quemdam esse bonum, et eumdem amari, sed unum hoc : virum, quisquis sit, si modo bonus sit, amari. Hoc autem non concreti nominis proprium, sed ei cum verbo in indicativo posito commune est. Eadem enim lege, nempe ipsius sensus vi, indicativo conditio declarari potest « Vir qui benigne agit, amatur ». Hactenus igitur adjectiva et participia per se ipsa non modorum, sed indicativi tantum vicem explere videntur.

De adjectivis quidem, et de participiis præsentis aut præteriti temporis nihil amplius dicendum habeo. De futuri autem participiis major et paulo difficilior quæstio oritur. Futuri enim affirmatio, præsertim si temporis hujus originem respexeris, quæ ad optativi informationem revocanda est, non mera affirmatio potest haberi. Ceterum participia futuri vere modorum partes agere, apertissime e latinis locutionibus apparet « ad urbem delendam, urbem deleturus », quibus finis aut consilium declaratur. Hic non e sententiæ tantum tenore idem sensus fit qui in verbo modis, aut tempore optativo modo affini, nempe futuro, exprimitur, sed ex ipsa participiorum forma. Mox autem videbimus participia futuri, quamvis sensu concreta sint, forma tamen, neque primaria esse concreta, neque e primariis concretis derivata fuisse, excepto uno de quo in fine præsentis disputationis tractabimus. Inquirendum est igitur an non causa

peculiaris fuerit cur ad futurum aut ad varios modorum sensus exprimendos accommodata viderentur. Jam in participiis a futuri themate derivatis, qualia sunt sanscritica in *syat*, *syamāna*, græca in σων, σομενος, θησομενος, desinentia, quæsita causa manifesta est. Quem enim futuri sensum ejusmodi formis subjectum reperimus, ille non participii sed futuri thematis est proprius, neque suffixa *at* aut *māna*, sed indicio futuri *sya* efficitur. Ex his igitur participiis concludi non potest nomina concreta per se ad futurum exprimendum apta esse.

Cetera futuri participia, excepto cujus jam mentionem fecimus uno, passivi generis sunt : nempe latinum in *undu-s*, *endu-s*, sanscritica in *anīya*, *tavya*, *tva*, *tya*, *ya*[1], et ceterarum linguarum cognatæ formæ ut græcum verbale, quod dicitur, in τεος. Ea non a futuri themate, sed ab abstractis, sive a nominibus actionis, derivata esse[2] videntur, ita ut suspicari possimus futuri sensum iis subjectum ad nomina actionis referendum esse, quod e posteriore disquisitione de hoc genere nominum verisimillimum fiet. Nunc satis habeamus e nostrorum participiorum formis nomina actionis eruere.

Elementa *undu-s*, *anīya*, *tavya*, τεος, non ex una, sed e duabus saltem suffixis constare vel primo adspectu perspicuum est. Vix autem minus certum compertumque habebit suffixas *tva* et *ya* non simplices, sed vere duplices esse, qui animadverterit ambas in *R*ig-Veda sæpissime ut disyllabas legendas, posterioremque in græca et in latina lingua, variis usibus frequentatam, semper disyllabam esse (Cf. de *ya* Benf. *Abh. der königl. Gesellsch. der Wiss. zu Göttingen*, 1871, p. 91, seq.). Suffixa *tya*, etiamsi ad elementum *ya* redigatur, ut in sanscriticis grammaticis fieri solet, non eo simplicior fiat, quum

1. De suffixis *anīya*, *tavya*, *ya*, nec non de *tya*, ad suffixam *ya* relata, vide Bopp. *Kritische Grammatik*, §§ 554–560 ; de eadem *ya* et de *tva* quæ vedici sermonis propria est, Delbruck. *Das Altindische Verbum*, p. 238.

2. Participia in *anīya* et *tavya* jamdudum ita explicata sunt (Bopp. *Kritische Grammatik*, § 355, *in notula*, — Schl. *Compendium*, § 217.

ipsum elementum *ya* duplex sit. Nostra igitur participia non primaria, sed secundaria sunt nomina. Sed ex eo ipso quod derivata sunt, et derivata *concreta*, verisimile fit ea ab *abstractis* nominibus orta esse. Hæc enim derivandorum nominum, si minus universa lex, communis tamen est consuetudo, quod abstracta e concretis, concreta ex abstractis fiunt. Appellativa excipiuntur e quibus derivatione adjectiva fieri solent, id est concreta e concretis. Deminutiva quoque concreta e concretis adjectivis fieri possunt. Sed non de ejusmodi nominibus hic agitur. Latinum denique futuri participium in *turu-s*, quod unum in finem disputationis distulimus, e nomine agentis in *tor*, primitus *tar*, informatum esse agnoscemus. Sed hæc est genuina derivatio minus quam cumulatio suffixarum : quæ non fieri solet nisi in recentiore sermonis ætate, ita ut rarius thematum genus in tritissimum quoddam cadat, quale est thematum in *a* desinentium. Formæ autem in *tavya* aut in *ya* desinentes, quum pluribus linguis communes sint, antiquiores videntur quam ut sic explicari queant. Jam igitur *a priori* conjicere licet, ut suffixis *a*, *ya*, e concreto nomine *yuvan* « juvenis » abstractum fit *yauvana* « juventus », ex abstracto autem *yaças* « gloria » concretum *yaçasya* « gloria præditus », ita, participia derivata, quæ concreta sunt, ex abstractis nominibus orta esse : quod *a posteriori* confirmare nitemur.

Illud primum est suffixas subtilius in partes resolvere. Facillime suffixa *ya* resolvi potest, quippe quæ e duabus tantum literis $y = i$, et *a* constet. Quum radicales vocales incrementi capaces in ejusmodi formis sanscriticæ linguæ nunc augeantur ut in *ksép-y-a* e radice *kship* « jacere », nunc puræ maneant ut in *spríç-y-a* e radice *spriç* « tangere », in formis autem gerundivi sive *absolutivi* quæ ad eamdem originem referendæ sunt, maneant puræ semper ut in vedico *anu-ghúsh-y-ā*, instrumentali antiquo thematis *anu-ghúsh-y-a* e radice *ghush* « clamare », qui ipse postea, breviata ultima vocali, *anu-ghúsh-y-a* factus est, unum id notandum videtur, accentu radicem vulgo, secundariam au-

tem suffixam *a* nunquam insigniri. In formis enim sanscriticæ linguæ ut *tyāj-y-à* pro *tyāj-í-a* e radice *tyaj* « deserere », circumflexus ex acuto primariæ suffixæ manifesto ortus est, unde apertius demonstratur suffixam *ya* e duobus elementis constare. Quum autem formæ græcæ quibus eadem suffixa inest radicalem vocalem haud secus ac sanscriticæ plerumque elevatam exhibeant, ex. causa ἅγ-ι-ο-ς « sacer », proprie « venerandus », e radice *yag*, sanscritice *yaj*, στύγ-ι-ο-ς « detestandus » (alia exempla vide apud Schleich. *Compendium*, § 217, cf. Bopp. *Vergleichendes Accentuationssystem.*, p. 156), hanc toni sedem pro genuina habere possumus. Sed radicis vocalem accentus vi non necessario auctam fuisse ex eadem græca forma στύγι-ο-ς, sanscriticis *spríç-y-a*, *anu-ghúsh-y-a* respondente, perspicuum est. Themata igitur primaria ponere licet e quibus allatæ formæ ortæ sint : στυγι, *spriçi*, *anu-ghush-i*, imo *kshipi* (*tyaj-i*), quum vocalis incrementum in derivatione fieri potuerit[1]. Reipsa themata primaria nominum actionis reperiuntur, suffixa *i* informata, et radicem puram, accentuque insignitam exhibentia, ut sanscritica *líp-i* « scriptura », *krísh-i* « actio arandi » (cognata e ceteris linguis vide apud Schleich. *Compend.*, § 216, *a*). Quod in forma *tyāj-y-à* pro *tyāj-í-a* et similibus accentus, ut in derivatione sæpe fit, sede motum fuerit non mirandum[2].

1. In propria quidem linguæ sanscriticæ derivatione primæ syllabæ vocalis non simplici tantum, sed duplici incremento *vriddhi* vocato augetur. Sed ea de qua tractamus multo antiquior est derivatio, utpote sanscriticæ cum sororibus linguis communis.

2. Fieri quoque potuit ut e themate primario in *i* desinente, accentu ad primariam suffixam translato, eaque suffixa incremento *vriddhi* vocato aucta, per suffixam secundariam, non jam simplicem, *a*, sed duplicem, *ya* (*i-a*), formæ ortæ sint qualis est vedica *vid-ā'y-ya* e radice *vid* « invenire ». Formam quidem fere similem *çravā'yya* e radice *çru* « audire » Grassmannius (*Wörterbuch zum Rig-Veda* s. v.) a themate causativi derivat. Vix autem thema *vidāy* cujus radicalis vocalis nullo incremento aucta est, pro themate causativi haberi potest. Ceterum ex ejusmodi formis suffixa nova abusu quodam hausta est, quæ vere addita est thematibus denominativorum verborum ut in *sprihayā'yya* e radice *sprih* « cupere ». Cum radice determinativo *s* instructa suffixam non jam *āyya*, sed *eyya* junctam reperimus, ut in *stusheyya* e radice *stu* « laudare » : quæ suffixa in formis genuinis (nunc amissis) incremento *simplici* suffixæ primariæ *i* eodem modo atque *āyya* oriri potuit.

Formas sanscriticas participii futuri in *tya*, ex. causa *çrútya*, *stútya* (in *upa-stútya*), *krítya*, e radicibus *çru* « audire », *stu* « laudare », *kri* « facere », grammatici vulgo[1] ab eadem suffixa *ya*, id est *i-a* derivatas esse fingunt, addita radici litera *t*. Sed ea est arte tantum ficta explicatio. Vix autem dubitari potest quin, ut *spríçya* e *spriçi* + *a*, ita *çrútya*, *stútya*, *krí-tya* e *çru-ti*, *stu-ti*, *kri-ti* + *a* orta sint. Hæc informatio, in participiis futuri sanscriticis non ita rara est, in absolutivis autem illis arcte affinibus, constanter fit, modo radix per vocalem brevem desinat : *pratī'tyā* pro *prati-i-ti-ā* e radice *i* « ire », cet. Nomina autem actionis in *ti* frequentissima sunt in omnibus indoeuropæis linguis, quæ vulgo radicalem vocalem puram, nec non, quum in sanscritica, tum in græca lingua elevatam exhibent, haud secus atque participia et absolutiva in *tya*, *tyā* desinentia. Exempla sunt, sanscriticum, *çrúti* « auditio », græca φά-τι-ς, dein φά-σι-ς, πέψι-ς pro πέπ-τι-ς, φύ-σι-ς, cet. (Vide Schl. *Compend.*, § 226, Bopp. *Vergl. Acc.*, p. 22).

Participia sanscritica in *távya* quibus respondent græca verbalia in τέο-ς, manifesto cum participiis Vedarum propriis in *tva* conferenda sunt. Hæc per suffixam secundariam *a*, illa per *ya* (quam vidimus e duobus elementis constare), derivantur a themate primario in *tu* desinente. Id unum inter ambo formarum genera discrimen, præter secundariæ suffixæ materiam, interest, quod in priore suffixa primaria accentu insignita et incremento aucta est, in posteriore autem radicalis vocalis accentum servavit et suffixa primaria pura stetit. In utroque autem, radicalis vocalis aucta reperitur : *yok-távya* e radice *yuj* « jungere », *kar-táv-ya* e radice *kri* « facere », *jé-tv-a* e radice *ji* « vincere », *kár-tv-a*. Quum autem supra absolutiva in *yā* ad eamdem originem retulerim atque participia in *ya*, non possum quin absolutiva quoque in *tvā'* et Vedarum propria in *tvā'ya*, *tvī'* eodem

1. Haud quidem Schleicher qui absolutivi terminationem *ya* contra a *tya*, abjecta litera *t*, deducit, hanc autem *tya*, pro *tyā*, instrumentalem habet thematis, non in *tya*, sed in *ti* desinentis (*Compendium*, § 226).

referam atque participia in *tva*. Illorum enim sine dubio thema in *tvá* aut in *tvī'* (quæ forma feminina est) desinit (cf. Barth, *Mémoires de la Société de linguistique*, II, p. 238). At formarum *yuk-tvā'*, *kritvā'*, *jushtvī'* e radice *jush* « gaudere », *kritvī'*, *yuk-tvā'ya*, non solum accentus in secundaria suffixa *a* stat, ad quam in derivatione transferri potuit, ut ad primariam in *kartávya* (et in *tyājyà* pro *tyājí-a*), sed vocalis radicalis nullo incremento aucta est. Tria igitur formarum genera *kartáv-ya*, *kártv-a*, *krtv-á*, ad primaria themata duo *kar-tu*, *kri-tu* referenda sunt. Usitata in sanscriticis literarum monumentis reperiuntur themata primaria nominum actionis in *tu*, prioris tantum exempli (*kar-tu*) instar informata, id est radicali vocali aucta, et eadem elevata, nempe infinitivi in *tu-m* ut *yók-tum* quibus latina supina respondent. Apud Græcos autem nomina actionis in τυ-ς ut βρω-τύ-ς suffixam elevatam exhibent; formæ hujus descriptionis primitus forsan iis propiores fuerunt a quibus absolutiva sanscritica potuerunt derivari.

Participia futuri sanscritica in *anī'ya*, haud secus atque *açvī'ya* « equinus » ex *áçva* « equus », e thematibus in *ana* desinentibus orta sunt, ut opinor per suffixam *ya* (*i-a*), quum formæ in *ya*, *iya*, *īya* desinentes in sanscritica lingua idem valere soleant et ad unam originem revocandæ esse videantur. Radicalis vocalis constanter incremento augetur, ex. causa in *bhavanī'ya* e radice *bhū* « fieri », quod aptissime congruit cum forma nominum actionis in *ana* radicem constanter auctam in sanscritica lingua exhibentium. Accentus, græce pariter[1] et sanscritice radicali vocali thematum ejusmodi servatus (Schleicher, *Compendium*, § 221 a), in participiis ad finem primarii thematis translatus fuerit[2].

1. Nomina quidem græca in *ανο* ut *κόπανο-ν*, cet., jam non actionem, sed instrumentum, cet. significant. Abstracta in *ονη* desinunt.

2. Vedica participia ut *yudhenya*, e radice *yudh* « pugnare », sanscriticis in *antya* affinia esse videntur. Graviora tamen discrimina sunt radicalis vocalis integritas et primæ vocalis suffixæ natura. Ejusmodi formas ut obscuriores omitto.

De latinorum participiorum in *undu-s*, *endu-s*, cet. desinentium informatione non satis liquet, sed meo tamen magistro Breali libentissime assentiar, qui ea a suffixa *do* et themate in *on* desinente deducit (*Mémoires de la Société de linguistique*, I, p. 201). Nomina autem actionis in *on*, *en*, *in*, ex antiquo *an*, desinentia, in ipsa lingua latina reperiuntur : *ad-sperg-o* pro *ad-sperg-on*, in genitivo *ad-sperg-in-is*, — *com-pag-o* pro *com-pag-on*, in genitivo *com-pag-in-is*.

Jam participia futuri passivi omnia a thematibus primariis in *on* (primitus *an*), *ana*, *tu*, *ti*, *i*, desinentibus derivata nobis visa sunt, et ejusmodi themata nominum *actionis* vicem plerumque explere inter omnes constat. Non tacendum est tamen, ex iisdem suffixis informata, imo easdem accentus leges sequentia, nomina *agentis* quoque reperiri : nempe e suffixa *an* sanscriticum *rā'jan* « rex », latinum *edo* pro *edon* « qui edit », — e suffixis *ana*, *tu*, *ti*, *i*, sanscritica *várdh-ana* « qui auget », *gán-tu* « viator », *yá-ti* « domitor », *chid-i* « qui findit », et e ceteris linguis cognata. Sed e duabus certe harum suffixarum, nempe *tu* et *ti*, nomina actionis multo frequentius quam nomina agentis informata sunt. Imo e suffixa *tu* sanscriticum infinitivum et latinum supinum informata esse jam diximus, nec cui infinitivus *kár-tu-m* et participia *kár-tv-a*, *kar-táv-ya* simul obversantur, dubium esse potest quin tres formæ ad unum primarium thema *kár-tu*, et id nomen *actionis*, revocandæ sint. Quum autem primaria themata *omnia* a quibus participia nostra derivata sunt, nomina actionis *esse potuerint*, et in participiis in *távya* et *tva* desinentibus *sine dubio fuerint*, jure, ni fallor, conjecerimus, quod jam *a priori* nobis verisimile visum erat, omnia futuri passivi participia e nominibus actionis orta esse. Ergo de futuri sensu in iis non ante judicandum est quam introspexerimus an non nomina actionis ad futurum exprimendum magis quam nomina agentis apta fuerint.

Unum participium futuri seposueram, latinum in *turu-s* desinens, ex. causa, *daturu-s*. Thema *daturu-* e nomine agen-

tis *dator* et suffixa secundaria *a*, latine *o*, *u*, ortum est, non per genuinam derivationem ut jam supra lectorem monui, sed per cumulationem suffixarum. Imo ipso nomine agentis in *tar*, postquam notio agentis in universum expressa fuerat, paulatim in sanscritica lingua non jam *agens* in præsenti, sed *acturus* in futuro tempore designatus est, et apud grammaticos futuri paradigma reperitur quod e nominativo hujus thematis et formis flexis verbi *as* « esse » constat : *dattā asmi* « dator sum », id est « dabo ». Hoc autem unum est nominis agentis exemplar, certum dico et exploratum, ipsius per se ad futurum exprimendum apti, aut saltem adaptati. Jam ad abstracta sive actionis nomina nos convertamus, et eorum usum cum supra spectato concretorum vel *agentis* nominum conferamus.

Abstracta nomina ab adjectivis et participiis præsentis aut præteriti hoc differunt quod non tantum sententiæ vi, sed ipsa forma, — a participiis autem futuri illo quod non ipso themate, ut primo quidem adspectu videtur, sed terminationibus tantum casuum, — conjunctivi et optativi vel futuri sensus significare possunt.

Quum dico, si mihi latine dicere licet quod vedice certe sit emendata locutio (vide supra p. 100) « Via aperitur *adventui* Cæsaris », notio finis exprimi videtur ipsa quidem forma nominis *adventui*, sed dativo tantum casu, non ipso themate *adventu-*, quum eodem themate in alio casu posito, seu causa « *Adventu* Cæsaris milites confirmati sunt », seu, sententiæ universæ tenore adjuvante (nam ne hic quidem negligendus est), futurum « *Adventu* Cæsaris milites confirmabuntur », aut conditio « *Adventu* Cæsaris milites confirmarentur », cet., exprimi possint. In priore igitur sententia, aut, ne ullam in latina lingua insolentem fingamus, in vedica jam supra allata *tvā .... havāmahe .... bhujé* « Te invocamur *fruitioni* », id est « ut bonis fruamur », nomine actionis *dativi terminatione instructo* idem sensus significari potuit quem in verbo conjunctivo aut optativo expressum reperimus.

At quum de antiquissima thematum ipsorum vi disputemus, dubitari potest an nobis liceat eorum sensuum rationem habere qui e flexione, non e themate pendere videantur. Animadvertendum est tamen terminationibus casuum signum tantum constructionis, non constructionem ipsam effici, neque sensuum diversitatem inter concreta et abstracta nomina ex eorum constructione oriri, sed eorum constructionem e sensuum diversitate ; ita ut, vel priusquam flexio inventa esset, diversus jam utriusque nominum generis usus esse potuerit. Ante enim quam casus terminatione distinguerentur, duplex jam lex construendorum nominum fuit : nempe ut prædicatum cum subjecto congrueret, et objectum e prædicato penderet. De quo testimonium præstarent composita utriusque generis innumera [1], si hæc indoeuropæi sermonis tantum, non potius mentis humanæ lex esset. E concretis nominibus, quæ sola hic respicimus, id est adjectiva vel participia, non ipsa per se, et directa quadam ratione, ab altero prædicato pendere poterant, sed prius utpote prædicata cum subjecto aut objecto quodam debebant congruere. Nomina autem abstracta, quum sensu adjectivis et participiis, et ideo haud secus atque illa verbis propiora essent, id est radicis sensum integrum servavissent et prædicati vicem possent explere, constructione tamen substantivis appellativis, pro subjecto aut objecto usurpatis, similia erant. Ex iis igitur quasi prædicatum fiebat ex altero prædicato, aut, ut aliis verbis utar, actionis aut qualitatis signum ex altero actionis aut qualitatis signo, directa ratione et objecti instar pendens : quæ fere modorum usus descriptio est in sententiis ex altera pendentibus. Hoc inter concreta et abstracta nomina discrimen non potest ad flexionem ut ad causam referri, quum utriusque generis flexio una et eadem sit, sed totum ad thematum, aut primam informationem, aut posteram partitionem est referendum. Efficiebatur autem

1. Cf. Bergaigne, *Essai sur la construction grammaticale*, — *Mémoires de la Société de linguistique*, III, p. 22.

ex hoc ipso discrimine ut, audito nominis actionis themate, relatio quædam actionis hujus cum altera, si minus deficientibus casuum terminationibus expressa reperiretur, necessaria tamen quadam lege exspectaretur; audito autem concreti nominis themate, prædicati vicem explente, nulla relatio, directam dico et continuam, exspectaretur nisi cum subjecto quodam, altera vero relatio, si qua esset cum altero prædicato, utpote e forma non exspectata, sed quasi obliqua, sententiæ tantum totius tenore suggeri posset. Jure igitur, ni fallor, concludamus, vel priusquam casus inventi essent, nomina concreta magis ad affirmationem per se stantem, abstracta autem magis ad affirmationem ex altera pendentem exprimendam accommodata fuisse.

E modorum sensibus quos in capite III, B recensuimus, unum supra, finem dico vel consilium, nomine actionis *distincte* significatum vidimus. Nam in iis quas finxi sententiis ablativum *adventu* continentibus, conditionis, futuri, cet., notiones sententiæ tantum vario tenore distinguebantur. Sed ne finis quidem notio, dativo casu expressa, a ceteris in forma thematis *adventu-* distingui prius potuit quam terminationes casuum exsisterent. Quod igitur ad præsentem disputationem attinet, nullum inter has et illam discrimen interest. Audito themate *adventu-*, auditori quidem eligendum erat inter varios sensus, conditionem, futurum, finem, cet., protinus autem optio eo ipso proponebatur, quod nominis actionis constructio libera erat. Finge contra sententias « Via aperitur Cæsari advenienti », « Cæsar adveniens milites confirmaret », cet., quæ fere idem atque supra allatæ significare possint. Finge præterea flexionem abesse. Auditori thema *advenient-* ante omnia utpote adjectivum cum substantivo suo construendum erat in relatione quam prædicati cum subjecto vocant, dein universæ sententiæ vi hæc affirmatio alteri subjicienda.

Fieri potest ut hæc subtiliora disquirendo calumniari quibusdam videar. Sit sane. Interpretationem iis castigandam permitto. Res tamen ipsas negare non poterunt, nempe

prædicati ex altero pendentis cum altero illo relationem, in nomine actionis terminationibus casuum, in nomine agentis ne eo quidem modo *exprimi* posse, hanc autem constructionis diversitatem non e terminationibus casuum explicandam, quippe quæ in utroque nominum genere eædem sint, sed ad ipsorum thematum vim revocandam.

Postquam iis obviam occurri qui, quod e sensibus concretorum et abstractorum nominum inter se comparatis colligendum habui, id solum ad vim terminationum referendum censuissent, jam redeo ad usum utriusque generis nominum in monumentis literarum. Concretis nominibus, vel in sententia nulli alii subjecta, meram affirmationem exprimi posse jam demonstravi. Nullus, ni fallor, abstractorum similis reperitur usus, neque ut « Paulus bonus », sic consecutio verborum qualis sit « benignitas Pauli » in ulla unquam lingua vulgo usurpata est, qua idem significaretur atque gallica sententia « Paul est bon ». Rursus concretis nominibus (participia futuri utique excipio), in sententia nulli alii subjecta nihil nisi mera affirmatio exprimi potest. In sententia autem alteri cuidam subjecta ut « Vir bonus amatur », jam animadvertimus sententiæ ipsius universæ vi, adjectivum « bonus » idem ac verborum circuitum « si modo bonus sit » significare. Sed nunquam per se enuntiatio « Vir bonus » pro « Vir bonus sit » imperativi instar, conjunctivi, optativi, usurpata est[1]. Abstracta autem nomina, vel in sententia nulli alii subjecta, imperativi (aut conjunctivi) partes suscipere posse jam demonstrabo.

Abstractum quidem nomen ex sua notione supra collegeram quasi natura ad id destinatum esse, ut ex altero prædicato penderet. Ubi vero alterum prædicatum in sententia non reperitur, omnino necesse est ut auditor actionem nomine abstracto declaratam ex intellecto tantum, aut, ut Brealis verbo utar (*Des idées latentes du langage*), latente

1. Germanicæ locutiones quas Corssenius affert (*Beiträge*, p. 493), ut *acht gegeben! still gestanden!* adverbii, ni fallor, partibus funguntur.

prædicato, exempli causa e voluntate loquentis, pendere fingat. Hac de causa, ni fallor, nomen actionis, in sententia per se stante sine altero prædicato constructum, aut universe quidquid non mera affirmatio est antiquitus exprimere potuit, aut certe imperativi vices in literarum monumentis explet : infinitivum dico quem pro imperativo usurpatum reperimus in vedica simul et in græca lingua. Exempla afferre satis erit e Rig-Veda, V, 45, 4; *sūktébhir vo vácobhir devájushtair índrā nv àgnī' ávase huvádhyai* « Hymnis vestris, precibus diis gratis, Indram Agnimque in auxilium advocate », ex Iliade, A, 582, Ἀλλὰ σύ τόνγ' ἐπέεσσι καθάπτεσθαι μαλακοῖσιν. E latina etiam lingua unum et alterum attulit Eug. Whilhelmius (*De infinitivi forma et usu*, p. 92)[1]. Similem constructionem recentiores quoque linguæ exhibent; neque ulla est in italica prohibitionis exprimendæ via nisi usurpando imperativo : *non intrare*. Imo vero in ipso libello « *La cuisinière bourgeoise* » inscripto gallicæ formulæ abundant hujus modi : «Faire cuire à petit feu.»

Infinitivum pro imperativo usurpatum cum nominativo subjectivæ partis conjungi posse, ex hoc Homeri versu apparet : Ἀλλὰ σύ τόνγ' ἐπέεσσι καθάπτεσθαι μαλακοῖσιν[2]. Eo ipso infinitivi constructio in sententiis nulli alii subjectis, et in sententiis ex altera pendentibus differt, quod in posterioribus nullum infinitivus proprium subjectum habere potest, sed cui rei aut personæ infinitivi actio tribuitur, ea vocabulo e præcipuo prædicato pendente exprimitur, R. V. IX, 1, 1, *índrāya pā'tave sutáh*, « Expressus (liquor) Indræ causa, bibendi causa » ; — in prioribus autem, infinitivo nominativus subjici potest.

Nonnulli forsan objicerent imperativi notionem, ad terminationem dativi qua finis exprimitur, non ad ipsum nominis thema referendam esse, nisi jam ostendissem themata ejusmodi quasi habilia fuisse ad modos exprimendos prius

1. De infinitivi usu confer Jolly, *Geschichte des Infinitivs*.
2. Constructionem accusativi cum infinitivo pro imperativo usurpato, quamvis postea lege quadam facta sit, minus genuinam habeo.

etiam quam flexio orta esset. Quid autem quod, non solum infinitivi declinati, sed themata quoque nominum actionis nulla terminatione aucta pro imperativis usurpantur, si, ut opinor, multæ imperativi formæ in indoeuropæis linguis nihil sunt nisi nuda ejusmodi themata. De hoc argumento, quamvis jam antea scripserim (*Revue critique*, 1873, I, p. 338), nunc paulo fusius mihi, digredientis modo, erit disputandum.

Primæ imperativi personæ in paradigmatibus, seu græcæ, seu latinæ grammaticæ, nullæ reperiuntur. In earum vicem primas conjunctivi personas substituunt linguæ illæ, nec non ipsa sanscritica. Cur autem in sanscritici imperativi paradigmata grammatici primas conjunctivi personas inducerent ea causa fuit, quod nullæ aliæ jam obsoleti modi formæ in classica lingua supererant. Ex his tamen unam, primam dico singularis numeri in activo genere personam in *-āni* desinentem, non conjunctivi formam genuinam fuisse credo. De qua paulo infra. Alteram primæ sing. act. personæ in conjunctivo vedico assignatam formam in *-ā* desinentem, huic quidem modo abnuere nolo, sed nihilo magis eam e forma in *-āni*, literarum *i*, *n*, ruina, ortam esse (Delbruck. *Das altindische Verbum*, p. 24) existimo. Ea potius cum primis linguæ græcæ personis conferenda est, quæ in conjunctivo utriusque conjugationis, nec non in primæ conjugationis præsente indicativi, in ω desinunt; quas non verisimilius est literarum ruina e formis in ωμι, ομι, ortas esse, quam vedicam e forma in *-āni*.

Secunda pluralis numeri persona apud Græcos, in imperativi præsente, quum activi, tum medii generis, eadem plane est atque in indicativi, vel præsente, vel imperfecto, si modo hujus omissum fuerit augmentum. Cum imperfecti autem, non cum præsentis formis æquandas esse imperativi formas ostendit sanscritica lingua, in qua, quum primariarum et secundariarum terminationum discrimen in secundis utriusque generis personis servetur, eæ personæ in imperativo, non primariam, ut indicativi præsens, sed

secundariam, ut imperfectum, terminationem exhibent: *bódha-ta*[1], *bódha-dhvam* « scite » haud secus atque (*a*)-*bodha-ta*, (*a*)-*bodha-dvham* « sciebatis, scivistis, cet. ». Latina quidem forma imperativi in secunda plur. act. persona cum imperfecti forma conferri non potest, quæ ab alio themate (vide p. 40) declinatur et, haud secus atque præsentis et ceterorum temporum formæ, propriam linguæ latinæ terminationem *tis* exhibet, — sed cum sanscritica et cum græca plane congruit.

De dualis utriusque generis secunda et tertia persona, seu apud Græcos, seu apud Indos, eadem dici possunt atque de secunda pluralis.

Secunda sing. med. persona græce in imperativi præsente eadem est atque in imperfecto indicativi, omisso augmento: λύου pro λυεσο, (ἐ)λύου pro (ἐ)λυεσο. Sanscriticam terminationem græcæ σο respondentem, id est *sva*, in imperativo quidem, *bódha-sva*, non autem in imperfecto, (*a*)*bodha-thās*, reperimus. Sicut igitur apud Latinos *legite*, ita apud Indos *bódha-sva* formam terminationis personalis, et ejus secundariæ, servavisse videtur quæ in indicativo obliterata est.

A ceteris temporum thematibus, haud secus atque a themate præsenti et imperfecto communi, formæ imperativi græce et sanscritice declinantur in utriusque generis sec. pers. plur., sec. et tert. dual., terminationibus secundariis instructæ, neque ab indicativi formis, omisso, si quod est, augmento, differentes.

Sicut vero primæ imperativi personæ genuinæ conjunctivi formæ sunt (excepta sanscritica in -*āni* desinente), sic illæ de quibus nunc agitur cum adultero, quem vocat Delbruckius (« unecht », *Der Gebrauch des Conjunctivs*, *p.* 5, — *Das altindische Verbum*, p. 80), conjunctivo conferri possunt. Hic enim, qui in sanscritica quidem lingua recentiore, cum particula tantum *mā'* prohibitionem exprimente, in

1. Vedica terminatio *tana* imperativo quoque cum imperfecto communis est (Delbruck. *Das altindische Verbum*, p. 44).

vedica autem etiam in affirmativis sententiis usurpatus reperitur, nihil est nisi imperfecti aut aoristi indicativus augmento orbus.

Hactenus imperativi formæ quarum terminationes ab indicativi aut conjunctivi terminationibus non discrepant. Ceteræ proprias terminationes exhibent et ad nominis potius quam ad verbi informationem revocandæ esse mihi videntur; quas per partitionem tantum certis personis assignatas fuisse conjicio. Ab iis ordior, quæ ab infinitivi formis non differunt.

Apud Græcos una aoristi forma λῦσαι, in medio genere secunda sing. persona est imperativi, in activo autem infinitivus. Eadem est apud Latinos similitudo[1] infinitivi præsentis in activo genere et secundæ pers. sing. imperativi in passivo, *legere*. Hæc quidem forma *legere* in indicativo quoque pro *legeris* usurpata est, haud secus atque forma secundæ plur. pers. *legimini*, quæ imperativi et indicativi vicissim partes agit. At ipsa forma *legimini* quæ vulgo nominativus pluralis habetur participii cujusdam obsoleti cui græcum in -μενο-ς responderit, dubito an non potius infinitivus sit cum græcis in -μεναι conferendus. Affertur quidem forma tertiæ singularis in *-mino* desinens (*progredimino*, cet., vide Corssen., *Aussprache*, II, p. 95), quam ejusdem participii nominativum sing. esse docemur (*ibid.*) cujus terminatio *s* evanuerit. Ejus autem literæ *s*, nominativi signi, ruina, absolutam dico ruinam, non ut apud veteres poetas quasi elisionem, nullo explorato, ut mihi videtur, exemplo confirmata est. Nam in iis quæ Corssenius (*loc. cit.*, I, p. 285) profert, *ille*, cet., dubitari potest utrum *s* ceciderit an ab initio defuerit. Ceterum ultima thematis vocalis *a*, nulla terminatione defensa, non in *o*, sed in *e*, immutari debuerit. Quum igitur utique, ni fallor, ad analogiam imperativi activi in *to* desinentis sit confugiendum, qua vocalis sonus *o* explicetur, totam formam secundum illam analogiam e plu-

1. Utraque jam a Wilhelmio (*De infinitivi forma et usu*, p. 90) notata erat.

ralis numeri forma in *mini* erutam fuisse conjicere sustinuerim [1].

Infinitivis aoristi græcis in -σαι desinentibus respondent in sanscritica lingua vedici infinitivi in *-se* ut *prákshe* e radice *prach* (vel potius *praç*) « precari » (Delbruck. *Das altindische Verbum*, p. 223). Ejusmodi formas alii e dativo radicis auxiliaris (Cap. II, p. 22) *as* « esse », nominis actionis vicem explentis, et radice verbi prædicativi conflatas fuisse fingunt, ego vero dativos thematis aoristi, radicis instar pro nomine actionis usurpati, habeo. At non dativi tantum, sed etiam locativi nominum actionis, ex. causa locativi in *-sani*, in *Ṛig*-Veda infinitivi partes agunt. Vedicas igitur formas in *-si* desinentes [2] ut *mátsi* e radice *mad* « inebriari », quæ, quod ad sensum attinet, secundæ sing. imperativi personæ sunt, sustinuerim cum infinitivis in *-se* desinentibus ita conferre, ut hi quidem dativi, illæ autem locativi ejusdem thematis esse videantur.

Ex eodem thematum genere, nulla addita terminatione, informati esse videntur imperativi græci ut δός, θές, cum quibus Curtius (*Das Verbum*, II, p. 36) confert latinum *es* ex *edo* « manduco ».

Terminatio quoque defuerit in formis imperativi, græca ἄγες, latina *prospices* (*ibid.*, p. 41), quæ cum vedicis infinitivis, dativi terminatione instructis, in *-ase* conferendæ sunt. Imo latina cum ejusdem verbi infinitivo *prospicere* conferri potest, ita ut, omisso radicum discrimine proportio oriatur, *prospices* : *prospicere* : : δός : λῦσαι.

Infinitivos vedicos in *-sani* desinentes modo commemoravi, quibus apud Græcos respondet secunda imperativi aoristi persona in activo genere per -σον exiens, ut λῦσον. Hæc autem

1. De vi analogiæ in informandis imperativi personis, vide infra, p. 119.

2. Harum formarum et græcarum ut λῦσαι et quæ infra explicabuntur δός ἄγες, affinitatem sensit Curtius. Eas autem, Delbruckii exemplo (*Das altindische Verbum*, p. 31) pro formis indicativi præsentis habet in imperativum translatis. Quod parum verisimile est quum pleræque e radicibus informatæ sint quæ nullam aliam formam ad secundam classem referendam exhibent (vide ipsum Delbruck., *loc. cit.*).

forma, nisi in fine vocalem *i* missam fecerit, quod non demonstrari certe potest, non locativus est, sed thema nudum nominis actionis a themate aoristi, haud secus atque a radice qualibet, suffixa particula *an* informatum.

Ceterum non aliter ex ipsa radice informatos esse conjicio imperativos syracosios ut θίγον, λάβον, ἄνελον (Curt., *loc. cit.*, p. 43), quibus in vedica lingua respondent infinitivi, terminatione dativi instructi, in *ane* (Delbruck., *loc. cit.*, p. 225).

Eadem suffixa *an*, in secunda præsentis classe radici *guna*, quod vocant, incremento auctæ addita, dein ad ceteras classes lege analogiæ translata, thema effectum esse existimo, cujus locativum exhibet prima sing. imperativi persona sanscritice in *-āni* desinens. In locativo quidem nominalium thematum in *an* desinentium, vocalis *a* producta non reperitur. Haud ægre tamen intelligitur, ejusmodi formarum, postquam conjunctivi formis, imperativi vicem in primis personis explentibus, annumeratæ fuerint, secundum illarum analogiam vocalem *a* productam fuisse. Similis quædam vocalis *a* productio, etsi non eodem modo explicari, saltem negari vix potest in secunda sing. act. imperativi persona verborum nonæ classis, qualis est *açāna* e radice *aç* « edere » (Delbruck. *Das altindische Verbum*, p. 197), qua, præter radicem, nihil contineri videtur, nisi suffixa particula *ana*, sæpissime in informandis nominibus actionis usurpata. Hic rursus, ut in græcis formis λῦσον, δός et in latina *prospices* thema nominis actionis nudum, imperativi loco fungens, deprehendere mihi videor.

Nudum sine dubio thema actionis exhibent imperativi formæ, vedice in *-tāt*, græce in -τω, latine in *-to*, desinentes; quæ quam sero et negligenter ad exprimendum personarum discrimen accommodatæ sint, id ostendit, quod trium personarum in literarum monumentis vices explent. In græca quidem lingua λυέτω secundæ tantum sing. personæ partes agit, in latina autem *legito*, secundæ et tertiæ, denique, in sanscritica, formæ in *-tāt* desinentes, non tantum

pro secundis et tertiis singularis (Delbruck, *loc. cit.*, p. 197), sed etiam pro secundis pluralis numeri usurpatæ esse videntur. Nam etsi grammatico Pānini, vedicas formas afferenti, non semper fidem adhibere possumus, hic ejus testimonium (7, 1,44) latinæ linguæ comparatione confirmatur, in secunda pluralis persona formam *legitote* exhibentis quæ, aut dativus est thematis in *-tāt*, aut nudum thema primitus in *-tāti* desinens[1], e quo thema in *-tāt*, cadente litera *i*, ortum esse plerique grammaticæ comparativæ scriptores consentiunt. Imo latinarum formarum in *-tote* major cum vedicis in *-tāt*, quod ad thema certe attinet, similitudo esse videtur, quam latinarum et græcarum in *-to*, *-τω*. Has enim suspicor, non duplicem suffixam *-tāt* pro *-tāti* continere, quæ apud Græcos tamen et Latinos in formis ut ἐλθέτως, *estod* (Curt., *Das Verbum*, p. 44) servata est, sed simplicem *-tā*.

Eadem forte suffixa *tā*, terminatione accusativi *m*, ut infinitivus sanscriticus et supinum latinum in *-tum*, instructa apparet in tertia sing. medii persona apud Indos per *-tām*[2] exiens, cui respondet in activo genere forma in *-tu*, thematis infinitivi, in secunda quidem classe cujus ceteræ analogiam sequi potuerunt, plane similis. Quarum quidem formarum si reipsa ea origo fuerit, nobis sit conjiciendum postquam *dvesh-tu*, *dvish-tām*, e radice *dvish* « odisse », pro tertiis singularis numeri personis usurpari cœpissent, e comparatione indicativi formarum, quum in singulari numero *dvesh-ti*, *dvish-ta*, tum in plurali, *dvish-anti*, *dvish-ata*, ortas esse secundum harum analogiam tertias pluralis imperativi formas *dvish-antu*, *dvish-atām*. Idem in græca lingua de formis activi generis ut λεγόντων dici possit, quarum tamen elementum των a terminatione singularis (etiamsi ea, ut supra conjeci, e *tā*, non e *tāt* orta esset) eo differret quod suffixam

1. Cf. *mare* a themate *mari-* mutatum. Umbricæ formæ in *tutu* (Cf. Breal. *Les tables eugubines*, p. 168, 358) ultimam vocalem *u* ex analogia formæ singularis in *tu* ortam esse conjecerim.

2. Quas Delbruckius affert (*Das altindische Verbum*, p. 71) formas in *-âm*, eæ ad thema nominis actionis in *â* referri possunt.

antiquam *tā* terminatione accusativi instructam exhiberet. At reperiuntur etiam formæ doricæ in οντω ut παρεχόντω (Curt., *Das Verbum*, p. 48) quibus aptissime respondent latinæ formæ ut *legunto* (cf. vedicam in *antāt*, *hayantāt*, a Benfeio allatam (*Ueber einige Pluralbildungen,—Abhandl....* *Göttingen*, 1867, p. 33). Formæ quoque in των exstiterunt, ἔστων, ἴτων (*ibid.*, p. 49), sed eæ pluralis numeri propriæ. Denique tertia pluralis persona ex ipsa singularis tertia, addito ut in aliis, vel temporibus, vel modis, elemento σαν, informata est, φερέτωσαν. Ex his omnibus manifestum fit quanta vis analogiæ fuerit in informandis imperativi terminationibus. De formis græcis tertiæ personæ, quum singularis, tum pluralis numeri, in medio genere, quæ a formis activi tantum litera σ differunt, qua cogente τ in θ mutata est, idem est animadvertendum (cf. *ibid.*, p. 48, 51).

De forma personæ sec. sing. act. sanscritice in *-dhi*, græce in -θι desinente nondum dixi. Cujus cum themate infinitivorum sanscritice in *-dhyai* desinentium mira est similitudo [1]. Hoc tamen inter imperativi formam et infinitivi thema discrimen interest, quod elementum *dhi* themati primario additur, in hoc quidem semper, in illa autem nunquam in vocalem *a* brevem exeunti. Ea forte antiqua partitio fuerit formarum qua ad varios usus accommodatæ sint. Ab infinitivi forma integra cui terminatio dativi in *ai* inest, imperativi forma eo insuper differt quod themate nudo constat.

Nihil etiam nisi themata nuda esse secundas sing. act. imperativi formas in prima conjugatione per vocalem antiquam *a* desinentes, *bódha-*, λύε-, *lege-*, ipse Delbruckius conjicit (*loc. cit.*, p. 33). Hæc autem non propria sunt imperativi, sed illi et præsenti indicativi communia themata, quorum naturam in posteriore tantum capitis parte dispiciemus.

Ex hac digressione, ni fallor, apparuit nonnullis certe impe-

1. Eam jam Ludwigius (*Der Infinitiv* im *Veda*, p. 135) notaverat, qui non imperativi tantum, sed omnium, vel temporum, vel modorum, formas ad infinitivos referendas censet ; quod longe mihi a proposito abest.

rativi formis nihil contineri nisi themata nominum actionis, sive declinata, sive etiam, quod in formis per *-tāt*, *-dhi*, desinentibus manifestissimum est, nuda. Unde concludi potest nomina actionis per se, non tantum per terminationes quibus casus distinguuntur, ad quemdam certe modorum sensum exprimendum fuisse idonea.

Jam de constructione disserere possum, quam supra prætermiseram, quum nomine actionis in præcipua sententia affirmationem meram exprimi posse negarem : infinitivum dico « narrationis » appellatum. Ejusmodi sententiæ vulgo in latina tantum lingua reperiuntur; neque e propria unius linguæ constructione satis firmum colligi possit argumentum contra ceterarum testimonium. Sed ne hæc quidem forsan vera exceptio est.

Nam vividiore sermonis motu quis ignorat affirmata *re vera* in imperata *specie* immutari posse, ut si quis, præteritas res narrando, eas non solum præsentes, sed etiam futuras fingit, et exercitum, exempli causa, cum hoste manus conserentem, hortari sibi videtur « Nunc agite, cursu hostem petite, cet. » quum re affirmare velit exercitum hostem cursu petiisse. Ejusmodi alloquendi exempla apud oratores aut poetas innumera sunt. Sed ne oratores tantum aut poetas iis uti solere existimes, composita, aut, quo accuratius loquar, juxtaposita afferam imperativum includentia, qualia sunt germanicum *Tauge-nichts*, gallicum *vaurien*, etc. (vide A. Darmesteter, *Traité de la formation des mots composés dans la langue française*, p. 147 seq.), et si nunc iterum a præcipuo argumento digressurus propriam sententiam tibi approbavero, græca composita quorum exemplaria præbere possunt φερέ-οικος, παυσί-νοσος, εὑρεσί-κακος, λαθί-πονος.

De ejusmodi compositis multum jam disputatum est, ut e libello Clemmii *De compositis græcis, quæ a verbis incipiunt, dissertatio inauguralis* inscripto (Giessen 1867) discere possis. Clemmii autem de eodem argumento sententia rursus a Schœnbergio (*Ueber griechische Composita in deren ersten Gliedern viele Grammatiker Verba erkennen*, Berlin, 1869)

impugnata est. Propositas a singulis scriptoribus explicationes refellere longum est. Hoc unum contra omnes objicere satis habebo : propriam partium in ejusmodi compositis ordinationem ab iis neglectam fuisse. Nam quum ea sit lex componendorum vocabulorum in indoeuropæis linguis, ut determinativum, quod vocant, determinato antecedat, hanc legem nulla fere composita[1] violant nisi, in græca lingua illa de quibus nunc agitur, et in sanscritica quæ nominis proprii *Bharád-vāja* « qui fert victum », exempli causa, similia sunt (de quibus paulo infra). Unde jam suspicari licet ea non vere esse composita, sed potius *juxtaposita*, id est e duobus vocabulis constare quorum prius proprium in sermone jus, nulla addita terminatione, sibi vindicare possit. Juxtapositorum quidem, in græca lingua, eadem lege atque compositorum membra vulgo ordinari jam notavi in prima parte commentationis *Essai sur la construction grammaticale* inscriptæ (*Mémoires de la Société de linguistique*, III, p. 33 et 34). In secunda autem ejusdem operis parte, cujus paucæ tantum paginæ adhuc typis mandatæ sunt (*ibid.*, p. 124 seq.), me demonstraturum esse confido vel antiquarum linguarum, imo illarum quæ, ut sanscritica in prosa oratione, objectum, quod dicitur, certa quadam et ea primitus omnibus indoeuropæis communi (*ibid.*, p. 8) lege ante verbum ponunt, eum fuisse morem ut imperativus, et in universum verbi formæ quibus jussus, votum, cet. exprimuntur objecto antecederent. Hac de causa existimavi (cf. *ibid.*, p. 26) ad Grimmianam supra dictorum compositorum interpretationem esse regrediendum. Doctissimo quidem et clarissimo viro qui in priore eorum parte jam-

[1] Composita ut *φέρ-οικος* verisimile est vocalem *ε* quam *φερέ-οικος* exhibet amisisse. *Φιλολόγος* pro *possessivo* composito haberi potest « a quo scientia diligitur ». Non item *λειπό-γαμος*. Sed hoc in locum formæ cujusdam *λειπε-γαμος* substitutum fuerit, litera *ο* ut in multis aliis (*ἰχθυο-πώλης*, *ἁρματο-πηγός*, *ψυχο-πομπός*, cet.) ex analogia compositorum orta quorum pars prior legitime in *ο* desinit. Formas ut *περσέ-πολις* pariter abusu quodam, id est confusione compositorum qualia sunt *παυσί-νοσος* et *φερέ-οικος* in lucem prodiisse conjecerim, neque aliter *φερέσ-βιος* ab *εὑρεσί-κακος* differre atque *φέρ-οικος* a *φερέ-οικος*.

dudum imperativi formas agnoverat (*Deutsche Grammatik*, II, p. 976 seq.) non ut φερε in φερέ-οικος, ita παυσι in παυσί-νοσος, εὑρεσι in εὑρεσί-κακος, λαθι in λαθί-πονος cum frequentatis in græca lingua imperativi formis æquare successit. Postquam autem de imperativi formis in universum ad nomina actionis referendis disserui, multo facilius, ut mihi videtur, Grimmii opinio confirmari potest. Imo forma παυσι aptissime vedicis imperativi formis ut *matsi* (vide supra, p. 116) respondet. Forma autem εὑρεσι a παυσι haud aliter differt atque thema aoristi in ἐστόρεσα (Curt. *Das Verbum der griechischen Sprache*, p. 247) ab ejusdem temporis themate in ἔλυσα. Denique radicis nudæ pro nomine actionis usurpatæ locativum in composito græco λαθί-πονος imperativi partes defendisse, ut dativus (*driçé* exempli causa) in sanscritica lingua infinitivi vicem explet, mera quidem conjectura est, confirmata autem analogia thematis aoristi cujus in sanscritica lingua locativum et dativum simul usurpatos esse vidimus, alterum pro imperativo, alterum pro infinitivo.

Sanscritica quorum supra mentionem feci composita, quale est *Bharádvāja*, si minus eodem, simili tamen modo explicari possunt. In iis enim objectum postpositum fuerit quod prima compositi, aut quo accuratius loquar, *juxtapositi*, pars forma esset conjunctivi vicem in declarando jussu, voto, cet. explens, ut illæ quas supra, auctore Delbruckio, ad conjunctivum quasi adulterum retuli.

Horum igitur, si mihi assensus eris, compositorum, aut illorum certe quæ prius e gallica et e germanica lingua attuleram, intellectus quamvis in meram affirmationem evadat, imperativo tamen exprimitur : quod idem in latinis, de quibus hic agitur, sententiis factum esse conjecerim, præterquam quod hic non genuinus imperativus, sed infinitivus eodem sensu usurpatus reperiatur. « Eodem sensu » dixi, si primam ejusmodi sententiarum originem, nec jam vulgatum et ab illa origine progressu quodam paulatim remotum usum respexeris. Quam si arduæ quæstionis enodationem lectori approbavero, nullus jam nominis

actionis usus supererit, in præcipua sententia meram affirmationem exprimentis [1].

Concretis autem nominibus quum asseruerim nihil in præcipua sententia nisi meram affirmationem exprimi posse, hanc jam legem dixi ad adjectiva tantum et participia præsentis aut præteriti, non ad participia futuri pertinere. His enim futurum, id est ex optativi sensibus unus, vel in præcipua sententia declaratur.

Ut summam hujus disputationis partis breviter contraham commemorabo : 1° in sententiis nulli alii subjectis meram affirmationem concretis quidem nominibus *sæpe*, abstractis autem nunquam, excepto infinitivo narrationis, expressam esse; ceteros verbi sensus, — participiis quidem futuri, sed iis, excepto uno nomine agentis in *tar* desinente, a modi themate aut a nominis abstracti themate derivatis, obliqua, si verbo uti licet, via, declarari posse, — abstractis autem nominibus omnibus, directa via; — 2° in sententiis vero alteri cuidam subjectis, concretis quidem nominibus aliquid sub conditione, aut in futurum, affirmari posse, sed, exceptis futuri participiis de quibus ante dictum est, hunc sensum in ea non transferri nisi universæ sententiæ tenore; abstracta autem nomina, et in recentiore sermonis ætate casuum terminationibus causam, finem, cet. expressisse, et in antiquiore illa, quum casus nondum adessent, ipsa natura quemdam e modorum sensibus intellectui subaudiendum suggessisse.

Ex his, etiamsi singulas disputationis partes non pariter lectori approbavero, in universum certe apparet quod unum pertinacius asserere sustinuerim : ad meram affirmationem concreta, ad ceteros verbi sensus exprimendos abstracta

1. Nullus quidem nisi formarum ut *legere, legimini*, quas ipse supra ut infinitivos interpretatus sum. Sed ejusmodi formæ pleræque *passivi* generis sunt. Ad passivum autem exprimendum accommodata fuisse nomina actionis meæ doctrinæ consentaneum est, quum idem, si minus ad optativum, ad futurum tamen optativo affine (cf. infra, caput I, p. 16) et ad passivum sanscriticum (cf. caput II, A, p. 40) informandum adhibeatur elementum *ya* (cf. præterea p. 27 et 28).

nomina aptiora fuisse. Unde jam suspicari licet indicativi themata ad alteram e duabus præcipuis nominum classibus, conjunctivi et optativi themata ad alteram referenda esse, nempe priora ad concreta, cetera ad abstracta nomina redire. Hanc denique toto libello propositam finem attingam.

### B. *Antiquissimas conjunctivi et optativi formas a thematibus nominum actionis derivatas fuisse.*

Conjunctivi et optativi non genuinam esse in omnibus vel præsentis classibus, vel temporibus, informationem, uno adspectu perspicuum fit. Nam quæ in formis ubi signa modorum radici ipsi adhærent, *hán-a*, *han-yā'*, *primaria* informatio habenda est, ea in formis ubi eadem signa, non cum radice nuda, sed cum themate præsentis jam informato junguntur, *dhrish*-*náv-a*, *dhrish*-*nu-yā'*, cet., jam non genuina haberi posset, nisi ut derivatio. Derivationis autem et primariæ informationis vix ulla fieri potest comparatio; formæ igitur, quum conjunctivi, tum optativi, aliæ primariæ, aliæ derivatæ haberi non possent, nisi hæc ab illis omnino sejungerentur, et ambo genera ad diversas omnino sermonis informandi, non solum rationes, sed ætates revocarentur. Quod ne credamus mira amborum inter se congruentia prohibere videtur. Adde quod ad conjunctivos primæ conjugationis præcipuæ a thematibus in *a* desinentibus per alteram *a* vocalem derivandos, analogia nulla e nominum derivatione[1] afferri potest. Minime igitur dubito monstratam a Curtio quæstionis solvendæ viam et ipsum ingredi. Jam quum ejus interpretationem impugnarem (supra, p. 52), in eo me doctissimo viro assentiri professus sum, quod existimarem modorum discrimina, e paucarum formarum oppositione orta, dein ad ceteras præsentis classes et ad cetera

1. De derivatione femininorum a themate masculino in *a* tacendum existimo.

tempora translata esse. Non tamen in classe secunda nosmetipsos includere cogimur. Imo quum futuri informationem eamdem fere esse atque optativi noverimus, suffixæ autem particulæ *ya*, in *a* brevem desinentis, nullum in optativo proprie dicto (excepto aoristi græci optativo in σεια, p. 17) usum reperiamus necesse est in disquisitionem nostram radicem determinativo *s* (p. 39) instructam inducamus, eamque haud secus atque radicem nudam cum suffixa *ya* junctam esse conjiciamus, unde futurum sanscritice in *syāmi*, *sya-s*, *sya-t*, græce in σω, σεις, σει, desinens ortum sit. Jam ut ad optativum et arcte optativo affine futurum informandum duplex suffixa *ya*, *yā*, adhibita est, ita ad conjunctivum informandum duplicem suffixam *a*, *ā*, fuisse adhibitam, et ideo e primæ conjugationis conjunctivis quemdam genuinum esse conjicere possimus. Ne quid autem conjicere videar, eam viam ineo qua genuinas formas dignoscere enitar, ut introspiciam quæ cum thematibus nominalibus reipsa pro nominibus usurpatis, non materia tantum literarum, sed etiam accentu[1] congruant. Huic autem disquisitioni pauca de nominum thematibus suffixis *a*, *ā* et *ya*, *yā*, informandis, præponenda sunt.

Suffixarum particularum *a*, *ā*, in lingua indoeuropæarum genitrice, duo fuerunt usus, nempe in nominibus agentis et in nominibus actionis informandis, quæ, seu vocalis *a* prosodia, seu ipsius vocis accentu distincta sunt : quod satis demonstrant sanscritica et græca lingua in ejusmodi formis mire consentientes. Suffixa *ā* longa nomina actionis tantum informantur, quæ in græca pariter et in sanscritica lingua suffixam elevatam exhibent. Exempla enim sunt sanscriticum *bhidā'* « fissio » e radice *bhid* « findere », et græcum φυγή, latine *fuga*, e radice φυγ (*bhug*) « fugere ». Formæ qualis est græca

1. Mihi accentus locum hic urgenti si objeceris accentum in derivandis nominibus, ut ipse supra (p. 106) agnovi, loco sæpe moveri, nec non fieri potuissent etiam in informandis modis loco motus sit, respondebo accentus diversitatem in formis a variis thematibus iisdem terminationibus declinatis credibiliter ab accentus diversitate in iis thematibus deduci posse.

ῥοή « fluxio » pro ῥοϝή e radice ῥυ (*sru*) « fluere », suffixam quidem elevatam, radicis autem vocalem incremento auctam exhibentes, nobis omittendæ videntur, quum nullum earum instar informatum thema in verbo reperiatur. Suffixa *a* brevi in utraque lingua nomina agentis et nomina actionis vicissim informantur. In nominibus autem actionis, radicis, in nominibus agentis, suffixæ particulæ vocalem utraque lingua elevat. Exempla enim sunt nominum actionis sanscriticum *yóga* « junctio » e radice *yuj* « jungere », græcum τρόχο-ς « cursus » e radice τρεχ « currere », — nominum agentis, sanscriticum *çubhá* « lucens » e radice *çubh* « lucere », græcum τροχό-ς « quæ currit, rota ». In nominibus actionis, radicis vocalis, dummodo *i* aut *u* esset, constanti quadam lege, et, ut vulgo creditur, vi accentus ipsius, incremento aucta est ; quod e superiore exemplo *yóga* apparet. In nominibus autem agentis, radicis vocalis, nunc pura remansit ut in *çubhá*, nunc incremento aucta est ut in *devá* « splendens, deus », e radice *div* « splendere ». Posterioris autem descriptionis formas omittere possumus, quum nullum ejusmodi thema ad informandum verbum translatum sit. Exemplaria igitur retinemus *bhid-ā'*, *yóg-a*, *çubh-á*, quorum discrimina apertissime intelligi possunt e tribus linguæ græcæ formis inter se collatis : φορ-ά « actio ferendi », φόρ-ο-ς « *idem*, unde tributum », φορ-ό-ς « qui fert »[1].

Suffixa autem particula *ya*, non solum nulla agentis nomina, sed ne actionis quidem nomina proprie dicta primitus informata sunt, aut, quo liquidius dicam, elemento *ya* non una, sed duæ, quod supra (p. 103) demonstravimus, suffixæ insunt. Suffixæ enim *i*, qua nomina actionis informata fuerunt, nova suffixa *a* ita addita est ut adjectivum

1. De sanscritici et græci accentus in his formarum generibus congruentia, vide Bopp. *Vergleichendes Accentuationssystem*, p. 150 et p. 22. Imo formæ materia pares in universum apud Indos simul et Græcos ut nomina actionis aut agentis simili accentus lege distinguuntur (Cf. *ibid.*, p. 22.) De sensibus vocabulorum ut τόμος, φόρος, τρόχος; πόρος peculiariter, accentu distinctis, cf. E. Egger, Ch. Galuski, *Méthode pour étudier l'accentuation grecque*, p. 43; not. 2.

quidem in universum, peculiariter autem participium futuri passivi efficeretur. Sed ex ejusmodi aut participio, aut adjectivo, rursus nomen actionis fieri potest, quod e sanscritico *kār-yà*, « faciendum », dein « actio », apparet. Imo in latina lingua nomina actionis suffixa *ya* informata reperiuntur non pauca : *od-iu-m*, *con-jug-iu-m*, *ob-se-qu-iu-m*, *sacri-fic-iu-m*, cet. — Suffixa *yā* (*i-ā*) quæ a suffixa *ya* (*i-a*) haud aliter differt atque a genere participii futuri masculino femininum, nomina actionis vel qualitatis in sanscritica lingua informantur *vid-yā'* « scientia » e radice *vid* « scire » *vraj-yā'* « actio eundi » e radice *vraj* « ire », cet., quibus respondet in latina lingua *in-sid-ia* (insidiæ), et in græca μοῖρα pro μορ-(j)α « partitio, pars ». Themata suffixa *ya*, *yā*, informata, in græca lingua radicis vocalem elevatam exhibent, ut supra in ἅγ-ιο-ς vidimus, et nunc e μοῖρα apparet, in sanscritica autem, modo radicis ut in *spríç-ya*, modo suffixæ vocalem; quarum accentus legum posterior constanter servatur in nominibus actionis suffixa *yā* informatis, *vid-yā'*, *vraj-yā'*. De thematibus in sanscritica lingua suffixæ vocalem *a* circumflectentibus, ut *kār-yà*, supra (p. 104) diximus, hic autem tacere possumus, quum nullum in verbo thema circumflexo accentu signatum habeamus. Incremento radicalem vocalem, modo auctam esse ut in sanscritico *kshép-ya* « jaciendus » e radice *kship* « jacere », modo carere ut in sanscritico *dríç-ya* « videndus » e radice *driç* « videre » aut in græco στύγ-ιο-ς e radice στυγ « odisse », supra quoque notavimus. Hæc autem linguarum, non solum in augenda radicis vocali, sed etiam in locando accentu, inconstantia propositæ demonstrationi non officit, quum e suffixis *ya*, *yā* nulla agentis nomina oriantur, quæ nominibus actionis opponenda sint.

Nunc vero ad institutam quæstionem revertamur, nempe quæ in verbo modorum themata usitatis nominum thematibus *primariis* ex omni parte respondeant. In secunda quidem conjugatione præcipua nulla sunt ejusmodi nisi in secunda classe. Exempla affero sanscritica *hán-a*, *han-yā'*, et e ra-

dicibus incrementi capacem vocalem exhibentibus, *bráv-a* cujus radix est *brū* « loqui », *dvish-yā'* cujus radix est *dvish* « odisse ». Cum his aptissime in lingua græca congruunt conjunctivi thema δώο in δώ-ο-μεν et optativi thema δό-ιη in δό-ιη-ν. Quum enim, instituto in verbo græco antepenultimæ (aut penultimæ) elevandæ more, prior accentus sedes jam non agnosci possit, eo tamen apte sanscriticis conjunctivis et optativis græcos δω-ο, δο-ιη, respondere supra vidimus (p. 7 et 14), quod radicis vocalis in conjunctivo δω-ο aucta, in optativo autem δο-ιη pura reperitur.

In prima conjugatione præcipua optativi nulli genuini esse possunt. In nullo enim signum optativi radici ipsi adhæret. Quod ad conjunctivum spectat, omittenda nobis sunt decima classis, denominativa omnia, themata in *ska*, sanscritice *cha*, græce σκο, latine *sco*, desinentia, denique græca themata in το. In his enim omnibus themata conjunctivi, si ea genuina haberemus, haud aliter ab indicativi thematibus differre videremus atque a genere thematum nominalium masculino femininum genus : quod discrimen parvi esse momenti videtur ad partitionem thematum inter indicativum et conjunctivum explicandam. Restant classes prima, quarta, sexta. E conjunctivo quartæ classis, exempli causa *púsh-yā* cujus radix est *push* « nutriri », thema nominis actionis in *yā* erui possit : accentus enim sedem in ejusmodi thematibus non immutabilem esse jam diximus. Ceterum quartæ classi passivum sanscriticum affine esse constat, in quo suffixæ *ya* vocalis elevatur, ita ut conjunctivi thema, cujus nullum vedicum exemplum noverim, in syllabam *yā* accentu percussam desinere debuerit, haud secus ac nomen actionis sanscriticum *vraj-yā'* et similia. Ea quidem optativi, non conjunctivi genuina informatio fuisset : sed conjunctivi et optativi eosdem fuisse a principio sensus contendo, et optativi formas in conjunctivi paradigmata inductas apertissime exhibet lingua latina. Hanc tamen conjecturam non urgeo, et ad primam sex-

tamque classem transeo, in quibus jam totius quæstionis quasi nodum attingemus.

Conjunctivi thema in prima classe, ex. causa *bhάv-a* e radice *bhū* « fieri », genuinum esse non potest. In thematibus enim per *ā* longam[1] desinentibus, non radicis, sed suffixæ semper vocalis elevatur, etiamsi radicis vocalis incremento augetur. In sexta autem classe nihil obstat quin conjunctivi thema *srij-ā'* e radice *srij* « emittere » pro genuino habeamus. Suffixa enim *ā* longa, accentu percussa, nomina actionis, quum in sanscritica, tum in græca lingua informata esse vidimus. Forte objicias sextæ classis longe pauciora quam primæ classis esse verba, imo ad sextam classem in græca lingua vix nonnulla verba indubitate referri posse, ita ut parum verisimile sit conjunctivum in egentissima classe magis esse genuinum quam in opulentissima prima. Cave autem ne obliviscaris secundi aoristi thema in græca haud secus atque in sanscritica lingua suffixa particula *a*, ο informatum a sextæ classis thematibus non differre; unde major fit numerus conjunctivorum qui nominibus actionis in *ā'* aptissime respondent. Eum tamen numero conjunctivorum primæ classis minorem remanere fateor. Sed longe abest ut formarum antiquitas ex earumdem frequentia dijudicanda sit. Imo vero quum in sermonis haud secus atque in hominum vita antiquiora recentioribus cedere soleant, ex ipso primæ classis quasi principatu verisimile fieri potest ejus minus quam obsolescentis sextæ formas genuinas esse.

Præsentis tantum formas adhuc respeximus, nisi quod aoristum secundum ad sextam præsentis classem referendum commemoravimus. In ceteris temporibus nullum genuinum aut conjunctivi, aut optativi, thema reperimus. Genuina denique habemus conjunctivi duo exemplaria, *brάv-a*, *srij-ā'*, optativi exemplar unum *dvish-yā'*. Tria autem pariter nomina sunt actionis, quorum instar ceteros optativos et conjuncti vosanalogiæ lege informari potuisse nemo infitias ibit.

1. Feminina thematum in *a* breve desinentium, ut supra, omitto.

De indicativo autem quæstio, ut prænuntiavi, magis implicata oritur. Nam quintæ quidem classis themata in *nu*, exempli causa, *drish-nú*, e radice *drish* « audere », sine dubio nomina sunt agentis, quod idem thema *dhrish-nú* ostendit, ut adjectivum « audax » usurpatum ; sextæ autem classis themata in vocalem *á*, breyem et elevatam, desinentia, ex. causa *srij-á*, nominibus agentis assimilanda esse e superiore disputatione de suffixarum *a*, *ā*, *ya*, *yā* usu manifesto apparet. Sed eidem disputationi convenienter themata primæ classis, suffixa quidem *a* brevi informata, radicis autem vocalem elevatam exhibentia, et themata quartæ classis in *ya* desinentia, necessario pro nominibus actionis habenda sunt. Themata secundæ classis, quæ sunt radices nudæ, nomina actionis pariter et nomina agentis esse possunt. De ceteris præsentis thematibus et de ceteris temporibus quæ minus aperte ad definita nominum genera referri possunt, nihil addendum existimo. Quidquid enim de iis judicatum erit, non fieri poterit ut a quatuor præsentis classibus deducta hæc conclusio infirmetur : nempe in indicativi thematibus non nomina agentis tantum, sed etiam nomina actionis reperiri. Num autem ea de causa desperandum est fore ut proposita de conjunctivi et optativi origine quæstio per eam quam iniimus viam resolvatur ? Minime vero ; unum enim jam, et id maximi momenti, compertum habemus, ad informandum genuinum conjunctivum aut optativum themata usurpata esse nulla nisi nominum actionis. Non autem sperare debuimus fore ut indicativus, multo pluribus informationis generibus distinctus, tanta simplicitate ad unum nominum genus revocari posset. Vel in conjunctivo paucissimas formas pro genuinis habuimus, ceteras secundum illarum analogiam ortas esse asseruimus. Hic, fateor, aliter se res habet, quum themata primæ et quartæ classis sine dubio genuina, non secundum aliorum analogiam orta sint. Sed alia sermonis lex respicienda est, quam partitionis vocant, qua jamdudum modorum originem explicandam suspicamur. Hac ipse Curtius utitur ad propriam interpretationem tuendam (*Chro-*

*nologie*, p. 82). Nobis igitur quoque viam tentare licebit, qua formarum partitionem, et e partitione ortas usus immutationes illustremus. Illud lubricum, ut supra dixi, iter jam confidentius ingrediar, postquam e priore capitis parte, ni fallor, eluxit, ad meram affirmationem exprimendam multo aptiora fuisse nomina agentis quam nomina actionis.

In antiquissima thematum informandorum ætate, ea primum nullo discrimine modorum usurpata esse fingo. Ex illa formarum confusione reliqua esse conjicio, non solum nomina actionis in prima et quarta præsentis classe, et si qua alia fuerunt, meram affirmationem exprimentia, sed nomina agentis in sexta, quinta, cet., conjunctivi aut imperativi vices defendentia. Indicativi enim themata omnia, secundariis terminationibus instructa, in vedica lingua[1] conjunctivum quasi adulterum efficere jam diximus. Imperativi autem non in sanscritica tantum, sed etiam in græca et in latina lingua, personas nonnullas ad eamdem originem revocandas esse notavimus (p. 114). His addi possunt, quod ad thema attinet, formæ secundæ singularis activi personæ, nulla terminatione instructæ (vide supra p. 119).

Indicativi et conjunctivi distinctio ex oppositione thematum orta fuerit, quam etiam nunc in secunda et in sexta classe servatam reperimus. In secunda classe pro indicativi themate radix quidem nuda usurpatur, quæ in verbo ut in nomine ad actionem haud secus atque ad agentem exprimendum apta fuit. Ubi autem radici *han* in forma *hán-ti*, exempli causa, thema *hán-a* in forma *hán-a-t* aut *hán-a-ti*, id est nomen actionis oppositum fuit, ex ipsa oppositione radix nomen agentis facta est. In sexta classe, nomini agentis in indicativo *srij-á* nomen actionis in conjunctivo *srij-ā'* apertissime opponitur. Hanc conjunctivi in sexta classe informationem eo magis pro genuina habendam arbitror, quod signum conjunctivi *a*, e secunda classe haustum, ad ceteras quidem

1. Idem earum formarum usus in iranica lingua reperitur. (Cf. Delbruck, *Das Altindische Verbum*, p. 80.)

secundæ conjugationis classes facile transferri potuit, classibus autem primæ conjugationis, jam in *a* brevem desinentibus, addi non potuisset nisi remotiore quadam et magis arte ficta analogia, quum vix temporis momentum per se stetisset, et continuo cum antecedente *a* brevi fuisset conflatum. E sexta vero classe novum fit analogiæ principium vocalium *a* brevis et *ā* longæ oppositio, quo totius primæ conjugationis, et in universum thematum in *a* desinenium, conjunctivi facile explicentur.

Dum primum indicativus a conjunctivo distinguebatur in his verbis quæ, aut radici nudæ nomen actionis in *a* brevem, aut nomini agentis in *a* brevem nomen actionis in *ā* longam opponendum habebant, facile intelligitur, quum non ex omnibus radicibus omnia thematum genera informata essent, nec jam omnes radices nudæ usurparentur, themata actionis exstitisse qualia sunt primæ et quartæ classis, quæ neque ulli agentis themati ex eadem radice informato, neque radici nudæ opponi possent. Illa e priore necdum peracta confusionis ætate vim retinebant meræ affirmationis haud secus atque hortationis, dubitationis, exprimendæ. Ubi autem ex oppositione thematis agentis in *a* brevem, et thematis actionis in *ā* longam desinentis, nova ratio orta est indicativi a conjunctivo distinguendi, e thematibus actionis sicut *bháva*, *púshya* indicativi facti sunt, dum e formis analogiæ lege productis *bhávā*, *púshyā* conjunctivi fiebant. In prima igitur et in quarta classe themata indicativi meram affirmationem significant, non, ut in sexta, quod ad id natura aptiora fuerint, sed quod in *a* brevem desinunt, ut themata sextæ classis.

Jam totam de conjunctivo quæstionem absolutam habemus. Ceterorum enim thematum, quæ in indicativo per *a* brevem, in conjunctivo per *ā* longam desinunt, quæquæ origo fuerit, partitio ex analogia sextæ classis explicari poterit, ut in prima et quarta classe, aut etiam facilius si indicativi thema ut nomen agentis agnitum erit. Thematum autem quæ in conjunctivo per *a* brevem, in indicativo per quam-

cunque aliam literam desinunt, partitio ex analogia secundæ classis eodem modo demonstrabitur.

Optativi thema in secunda tantum classe genuinum esse jam vidimus. De oppositione radicis *han*, exempli causa, et thematis *han-yā'* eadem iterari possent quæ supra de oppositione ejusdem radicis et thematis conjunctivi *hán-a* dicta sunt. Elementum autem *yā*, ubi pro modi signo haberi cœpit, ad ceteras, quum secundæ, tum primæ conjugationis classes, et ad ceterorum temporum themata translatum est. Ejusdem literas ambas in unam *ī* coaluisse, exemplo Curtii (vide supra p. 54) jam non dubito asserere. Signum optativi ita contractum non solum exhibent verba secundæ conjugationis in medio genere, sed cum *a* thematis ultima in diphthongo *e*, græce οι conflatum servant in utroque genere verba conjugationis primæ.

Futuri, sanscritice in *syāmi*, *syas*, *syat*, græce in σω, σεις, σει desinentis, quod optativo affine esse diximus, informatio non omnino genuina haberi potest, quum themata nominum primaria nulla in *sya* desinentia noverimus, si radicem autem determinativo *s* prius auctam esse conjicimus (vide p. 39), posterius suffixa *ya* fieri potuerit; qua quum participia futuri vulgo efficiantur, ex his participiis rursus nomina actionis fieri posse jam lectorem monuimus. Eadem suffixa *ya* in æolico, qui dicitur, optativo themati aoristi in σε pro *sa* desinenti (λύσεια) addita fuerit.

Illud ultimum est notare eo quoque optativi signum cum suffixis *ya*, *yā*, congruere, quod disyllabum, haud secus atque illæ (p. 103) primitus fuit (p. 14).

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona
a. d. VIII Kal. Februar. an. MDCCCLXXVII
Facultatis Litter. in Acad. parisiensi decanus

H. WALLON.

Typis mandetur
Academiæ parisiensis Rector

A. MOURIER.

Typographie Lahure, rue de Fleurus, 9, à Paris.

PARISIIS. — E. TYPIS LAHURE
Via dicta Fleurus, 9